
BIBL. NAZ.
162
I
6
NAPOLI



2

RITVALE

SACRAMENTORVM

ROMANVM

GREGORII PP. XIII P. M

IVSSV EDITVM

L. III.






Romæ ——— 1633

RITVALIS ROMANI LIBER TERTIVS.



DE BENEDICTIONIBVS.



CVM inter Episcopos & Presbyteros seu simplices Sacerdotes sit non modica differentia, quòd ad omnes communiter pertineant illa sex, videlicet catechizare, baptizare, prædicare, conficere, soluere, ac ligare: ad Episcopum tamen seu Pontificem nouem specialiter spectant, scilicet clericos ordinare, virgines benedicere, Episcopos consecrare, manus imponere, Basilicas dedicare, degradandos deponere, Synodos celebrare, chrisma conficere, vestes & vasa sacrare, in fronte chrismare, benedictionem solennem ante pacem dare. Et proinde Episcopi liberè his benedictionibus iure suo vti possunt: Presbyteri autem seu simplices Sacerdotes non omnibus, præsertim quæ Pontificalis sunt ordinis vel functionis, vel quę ab Episcopis fieri consueuerunt, nisi ex indulto Apostolico, vel licétiá Sedis Apostolicæ? vt est benedictio mapparum altaris, corporalium, Sacerdotalium indumentorum & similium, quas facere non debent sine licentia speciali.

Item notandum, quòd si Episcopus vel Sacerdos non benedicat in Missa, in omnibus benedictionibus semper debet habere supra se superpelliceum & stolam, & incipere per Vers. Adiutorium nostrum.

De institutione & vsu aquæ benedictæ, qua in Ecclesia populus aspergitur.

SAnctus Clemens lib. viij. Constit. Apostol. cap. xxxv. facit mentionem de aquæ, & olei benedictione per Episcopum, & eo absente per Presbyterum & Diaconum, & ponuntur verba benedictionis: & in his tribuuntur ei virtutes, quas habet aqua benedicta.

Et Alexander Papa I. & martyr, in Epistola prima ad omnes Orthodoxos, cap. v. Tom. j. Concil. de ea ita scribit.

Aquam enim sale conspersam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur: quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine, populũ sanctificabat atque mundabat, & si sale aspersio per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est: quantò magis diuinis precibus sacratus, sterilitatem rerum aufert humanarũ, & coinquinatos sanctificat atque mundat, & expurgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phãtasmatis versutijs homines defendit? Nam si tactu fimbriæ vestimenti Saluatoris, saluatos infirmos esse non dubitamus, quantò magis virtute sacrorum eius verborum diuinitùs sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis, & animæ humana percipit fragilitas? &c.

Et habetur apud Gratianum de consecrat. distinct. iij. cap. Aquam sale conspersam, vbi in paucissimis lectio variat.

Et apud Burchardum Episcopum Vuormacien. lib. ij. Decretorum, cap. liij. Item de aqua benedicenda. Aquam enim sale conspersam &c.

Item Concilium Nannetense cap. v. quòd nos non habemus. Eius autem verba ponuntur

tur à Burchardo lib.ij.cap.lij. Vt omnis Presbyter in sua Ecclesia singulis Dominicis diebus aquam benedicat.

Omnibus diebus Dominicis quisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solennia aquam benedictam faciat in vase nitido, & tanto mysterio conuenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & atrium eiusdem Ecclesię cum crucibus circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescētibus oret. Et qui voluerit in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua, & per mansiones & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorū, necnon super cibos & potum suum conspergat. Et à Rabano lib.ij.de instit.Cleric.cap.lv. De benedictionibus.

Et ab Iuone parte ij.decretorum cap. cxviij. Vt omnis Presbyter in sua Ecclesia singulis Domiuicis diebus aquam benedicat.

Et à Vualafrido Strabone de rebus Ecclesiasticis cap.xxix.

Aquam sparsionis cum sale benedici, & in habitaculis fidelium spargi Alexander Papa constituit. Sicut enim populus prior legalibus institutis deseruiens sanguine lustrabatur: ita nouus Christianorum populus Baptismi Sacramento renatus dignè aqua benedicta aspergitur, vt sicut sanguis agni in postibus ad repellendum percussorem ponebatur, ita mysterium aquæ corpora & loca muniat renatorum.

Et Gulielmo Durando lib.iiij. Rationalis cap.iiij. De aquæ benedictæ consecratione, nu.iiij. Vbi quòd omni Dominica aqua benedicitur, præterquàm in Pascha & Pentecoste, vbi fontes benedicuntur, quia in Sabbatis Dominicas illas pręcedentibus benedicuntur fontes, & illis benedictis ante Chrismatis infusionem aqua recipitur, & ad spargendum nos & domos nostras reseruatur, sicut in canone cautum habetur. Ex aqua ergo benedicta nos & loca nostra aspergimus in significationem Baptismi.

Et eodem Durando lib.vj.cap.lxxxviij. De diurno officio Paschæ sub num.ij.dum dicit: In significationem Baptismi nos & loca nostra aqua benedicta aspergimus, cantantes, Vidi aquam: Alijs verò temporibus cantantes: Asperges: Veruntamen nec hodiè (scilicet die Paschæ) nec in Pentecoste aqua benedicitur. Et se remittit ad quartam partem sub tit.De aquæ benedictæ aspersione.

Ordo ad faciendam aquam benedictam.

Diebus Dominicis & quandocunque opus fuerit, præparato sale, & aqua ad fontem, Sacerdos cum superpelliceo, & stola, vel si sit celebraturus, alba & stola indutus, primò dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde absolutè incipit exorcismum salis.

Exorcizo te creatura salis per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ, vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis; & effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq. spiritus immundus adiuratus per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Immensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, benedicere ✠ & sanctificare ✠ tua pietate digneris: vt sit omnibus

nibus sumentibus salus mentis.& corporis; & quicquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia omniq. impugnatione spiritalis nequitiæ. Per Dominum nostrum &c.

Posteà absolutè prosequitur exorcismum aquæ.

Exorcismus aquæ.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, in nomine Iesu Christi ✠ Filij eius Domini nostri, & in virtute sancti Spiritus ✠ vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramēta in aquarum substantia condidisti; adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic, multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde: vt creatura tua mysterijs tuis seruiens ad abigendos dæmones, morbosq. pellendos diuinæ gratiæ sumat effectum; vt quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda resperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat: vt salubritas per inuocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Hic ter mittat sal in aquam, dicendo semel.

Commistio salis & aquæ pariter fiat, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperij Rex, ac semper magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis; qui inimici rugientis sæuitiam superas; qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes & supplices deprecamur ac petimus, vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, vt vbicunque fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorq. venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus vbique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Post benedictionem aquæ Sacerdos Dominicis diebus antequàm incipiat Missam, indutus pluuiali coloris officio competentis, & (vbi commodè haberi non potest) alba tantùm cum stola, accedit ad altare, & ibi ad gradus cum ministris genuflexus, accipit à Diacono, seu alio ministro

aspersorium, & primò ter aspergit altare, deinde se & ministros, incipiens Antiphonam, Asperges me. & Chorus prosequitur, Domine hyssopo & mūdabor &c. vt infra. Deinde celebrans aspergit Clerum, deinde populū dicens Psalm. Miserere. cum Gloria Patri. Antiphona. Asperges me Domine hyssopo,& mūdabor:lauabis me,& super niuem dealbabor. Psal. Miserere mei Deus secundùm magnā misericordiam tuam. Et dicto hoc tantùm versu dicitur ℣. Gloria Patri & Filio,& Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen. Et repetitur Antiphona. Asperges me.

Supradicta Antiphona, prædicto modo dicatur in aspersione aquæ benedictæ in Dominicis per totum annū, excepto quòd in Dominica de Passione,& in Dominica Palmarum non dicitur Gloria Patri. Sed post Psal. L. Miserere. repetitur immediatè Antiph. Asperges me Domine. excepto etiam tempore Paschali scilicet à Dominica Paschæ vsque ad Pentecosten,quo tempore cantatur Antiphona. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro Alleluia: & omnes ad quos peruenit aqua ista,salui facti sunt,& dicent alleluia,alleluia. Psal. CXVII. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculū misericordia eius. ℣. Gloria Patri. repetitur Antiphona. Vidi aquam. In octaua verò Pentecostes resumitur Antiphona. Asperges me Domine.

Finita Antiphona supradicto modo, Sacerdos qui aspergit aquam reuersus ad altare,ante gradus altaris stans, dicat ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. tempore Paschali additur Alleluia. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Oratio.

Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus,& mittere digneris sanctum Angelum tuū de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat,visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita benedictione aquæ,Christi fideles possunt de ea in vasculis suis accipere, & secum deferre ad aspergendas domos, agros,vineas, pecora, & iumenta; & ad eam habendam in cubiculis suis, vt ea quotidie, & sæpiùs aspergi possint.

Benedictio, seu dedicatio Baptisterij, siue consecratio noui fontis, quam ab Episcopo fieri decet, cùm sit res grauis & perpetua.

Primitùs fiat aqua benedicta cum Litania, deinde dicatur.

℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus fons omnium virtutum, & plenitudo gratiarum; dignare hoc vasculum sacro baptismati præparatum maiestatis tuæ præsentia consecrare, vt qui vbique totus es, etiam hîc adesse te nostris precibus sentiamus. Per Dominum.

Alia Oratio.

PRopitiare Domine familiæ tuæ, & benignus humilitatis nostræ vota sanctifica,& omnes in hoc fonte regenerandos vniuersali adoptione custodi. Per.

Tunc aspergit ipsum Baptisterium aqua benedicta, addens odorem incensi.

Alia benedictio seu dedicatio Baptisterij.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terrã.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, hoc Baptisterium salutis æternæ cœlesti visitatione dedicatum, Spiritus sancti tui illustratione sanctifica, ✠ vt quoscunque fons iste loturus est, trina ablutione purgati, indulgentiam omnium delictorum tuo munere consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

MVltiplica Domine benedictionem tuam, & Spiritus tui munere fidem nostram corrobora, vt qui in hæc fluenta descenderint, in libro vitæ ascribi mereantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum,qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergat ipsum Baptisterium aqua benedicta, & incenset.

Benedictio Cilicij ex pœnitentia vel deuotione induendi.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui peccatoribus pœnitentibus, & pietatis tuæ misericordiam quærentibus, hoc indumento vestitis, misericordiam & veniam tribuisti; oramus clementiam tuam, vt hoc indumentum, quod vocatur cilicium, benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris: vt quicunque eo pro peccatis suis indutus fuerit, & miseri-

cordiam implorauerit, veniam, & tuæ miserationis indulgentiam consequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Cineris.

Oremus. Oratio.

DEus indulgentiæ, Deus pietatis & misericordiæ, qui Niniuitis cinere, & cilicio indutis, & misericordiam tuam clamantibus subuenisti, exaudi nos propitius, & concede vt hanc creaturam cineris, quo peccatores indulgentiam tuæ misericordiæ implorantes vtuntur, benedicere ✠ & sanctificationis tuæ gratiam super eum infundere digneris, vt quisquis illius inspersus fuerit puluere, indulgentiam & remissionem cunctorum à te pio Domino mereatur percipere delictorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc cilicium extendatur in terra, & de cinere benedicto Sacerdos super illud faciat crucem, & deinde aspergat aqua benedicta, & super illud ponatur pœnitens, seu suscipere volens; posteà fiat crux de eodem cinere & aqua benedicta super pectus eius, & dicatur ei.

Recordare quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

Rursus Sacerdos dicit ei.

Placent tibi cinis & cilicium ad testimonium pœnitētiæ tuæ ante Deum in die iudicij? Et ipse respondet: Placent.

Et tunc pœnitens surgit, & genua flectit, & Sacerdos induit eum cilicio: vel illud super eum imponit, dicens:

Apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio. Ita enim lapsis hominibus subuenit, vt non solùm per Baptismi & Confirmationis gratiam; sed etiam per pœnitentiæ medicinam spiritus humanus vitæ reparetur æternæ. Et indutus respondet. Deo gratias.

De benedictione verò cineris & cilicij pro infirmo seu moriente, require suprà pag. 339.

Benedictio nouæ Crucis.

NOua crux seu tabula, in qua crucifixus est depictus, hoc modo benedicitur. Paratis thure thuribuloq. cum igne, & aqua benedicta, Pontifex cum mitra, seu Sacerdos stans dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine Iesu Christe hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, & superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto

cto viuis, & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

Rogamus te Domine sancte Pater omnipotens, sempiterne Deus, vt digneris benedicere ✠ hoc lignum Crucis tuæ, vt sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum: sit solamen & protectio ac tutela contra sæua iacula inimicorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Deinde dicit voce mediocri, extensis manibus ante pectus, Præfationẽ.

Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & iustum est.

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, cuius sanctum ac terribile nomen inter cæteras visibiles creaturas ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non cessant. Qui in figuram vnigenitæ sapientiæ tuæ, ligno vitæ à principio paradisum voluptatis ornasti, vt eiusdem fructus sacro mysterio protoparentes nostri generis, mortem cauere, & vitam admoneres obtinere perpetuam: Quiq. nos vetitæ arboris attactu iustæ morti addictos, eiusdem coæternæ tibi sapientiæ Dei, & Domini nostri Iesu Christi innoxia morte ad vitam misericorditer reuocare dignatus es: Te supplices exoramus, vt hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli, quo pretioso Filij tui sanguine triumphasti fidelium tuorum deuotione compactum erectumq. est, cœlesti tua benedictione ✠ sanctificare digneris, vt omnibus hîc genua flectentibus, ac tuæ maiestati supplicantibus largior, & cordis compunctio, & admissorum indulgentia concedatur, atque intercedente ipsa victoriosissima vnigeniti Filij tui passione, & tibi placita postulare, & citiùs valeant postulata percipere. Da quæsumus clementissime Pater, in quo viuimus, mouemur, & sumus, vt quoties triumphum diuinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis deiecit, oculis intuemur, quotiesq. mente recolimus, & contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, & maiorem tibi deuotæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ maiestatis examine, cùm elementis, cælorumq. commotis virtutibus, signum istud glorificum redemptionis nostræ apparuerit in cœlo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis videre gaudia mereamur.

Quod sequitur dicitur submissa aliquantulum voce: ita tamen quòd à circumstantibus exaudiri possit.

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui beatæ Crucis patibulum, quod prius erat sceleſtis ad pœnam, conuertiſti redemptis ad vitam, concede plebi tuæ eius vallari præſidio, cuius eſt armata vexillo. Sit ei Crux fidei fundamentum, ſpei ſuffragium, in aduerſis defenſio, in proſperis adiuuamen; ſit ei in hoſtes victoria, in Ciuitate cuſtodia, in campis protectio, in domo fultura; vt per eam paſtor in futuro gregem conſeruet incolumem, quæ nobis Agno ✠ vincente conuerſa eſt in ſalutem. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

SAnctifica ✠ Domine Ieſu Chriſte ſignaculum iſtud paſſionis tuæ, vt ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus in te perpetuum efficiatur victoriæ vexillum. Qui cum Deo Patre viuis & regnas in vnitate Spiritus ſancti Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Tunc offertur Pontifici vel Sacerdoti thus in nauicula, aut alio vaſe, quod Pontifex ſtans ſine mitra benedicit, dicens:

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui aſſiſtit exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſeruitium ſpirituale, & igneum eſſe cognoſcitur, dignare reſpicere, benedicere ✠ & ſanctificare ✠ hanc creaturam incenſi: vt omnes languores, omneſq. infirmitates atque inſidiæ inimici odorem eius ſentientes effugiant, & ſeparentur à plaſmate tuo: vt nunquam lædatur à morſu antiqui ſerpentis, quod pretioſo Filij tui ſanguine redemiſti. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrũ. ℟. Amen.

Quo facto Pontifex, vel Sacerdos imponit thus in thuribulum.

Deinde aſpergit Crucem aqua benedicta, & mox eam incenſat.

Tum dicit adhuc ſtans ſine mitra.

Sanctificetur lignum iſtud in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠ & benedictio illius ligni, in quo membra ſancta Saluatoris ſuſpenſa ſunt, ſit in iſto ligno; vt orantes, inclinanteſq. ſe propter Deum ante iſtam Crucem inueniant corporis & animæ ſanitatem. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. ℟. Amen.

Tum Pontifex vel Sacerdos flexis ante Crucem genibus, ipſam deuotè adorat & oſculatur. Idem faciunt quicunque alij voluerint. Si verò Crux eſt ex metallo vel lapide, loco præcedentis orationis videlicet Sanctificetur, &c. Pontifex ſtans ſine mitra dicit ſequentem orationem.

DEus gloriæ, Deus excelſe Sabaoth, fortiſſime Emmanuel, Deus Pater veritatis, Pater ſapiẽtiæ, Pater beatitudinis, Pater illuminationis ac vigilationis noſtræ, qui mundum regis, qui cuncta regna diſponis, qui es bonorum collator munerum, & bonorum omnium attributor; cui omnes gentes, populi, tribus, & linguæ ſeruiunt, cui aſſiſtit omnis Angelorum legio, qui largiris famulis tuis fidem, & laudem tui nomi-

nominis, vt debita tibi oblata persoluant: cui prius fides offerentium complacet, deinde sanctificatur oblatio, quæsumus exorabilem misericordiæ tuæ pietatem, vt sanctifices ✠ tibi hoc signum Crucis, & consecres, ✠ quod tota mentis deuotione famulorum tuorum religiosa fides cōstruxit, trophæum scilicet victoriæ tuæ, ac redemptionis nostræ, quod in amorem Christi triumphalis gloria consecrauit. Aspice hoc signum Crucis insuperabile, per quod diaboli est exinanita potestas, mortalium restituta libertas: quæ licet fuerit aliquando in pœnam, sed nunc versa est in honorem per gratiam: Et quæ reos quondam puniebat supplicio, nunc & noxios absoluit à debito, & tibi quid per hoc placere potuit, nisi id per quod tibi placuit nos redimere: & nullum tibi debitum amplius munus est, quàm quòd tibi tunc corporis dedicauit affixio: nec tibi est magis familiaris oblatio, quam quæ familiari manuum tuarum extensione sacrata est. Illis ergo manibus hanc Crucem accipe, quibus illam amplexus es: & de sanctitate illius hanc sanctifica, & sicuti per illam mundus expiatus est à reatu, ita offerentium famulorum tuorum animæ deuotissimæ huius Crucis merito omni careant perpetrato peccato: & tuæ veræ Crucis obtectu enitescant successibus triumphatores. Radiet hîc vnigeniti Filij tui Domini nostri splendor diuinitatis in auro: emicet gloria passionis eius in ligno, in cruce rutilet nostræ mortis redemptio, in crystalli splendore vitæ nostræ purificatio. Sit suorum protectio, spei certa fiducia, eos simul cum gente & plebe fide confirmet, spe & pace consociet, augeat triumphis, amplificet in secundis: proficiat eis ad perpetuitatem temporis, ad vitam æternitatis, vt eos temporali florentes gloria muniat, & ad perpetuam redemptos coronam, ad regna cœlestia potenti virtute perducat: præsta per propitiationem sanguinis eius, per ipsum datorem, qui seipsum dedit redemptionem pro multis, qui se hostiam pro delictis offerre dignatus est, qui exaltatus in ligno Crucis suæ, principatus, & potestates humiliauit, qui tecum sydereo considet throno indissolubili connexione Spiritus sancti per infinita seculorū secula. ℟. Amen.

Tunc Pontifex vel Sacerdos flexis ante Crucem genibus, eam deuotè adorat, & osculatur; idem faciunt quicunque alij voluerint.

Alia benedictio nouæ Crucis.

℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Rogamus te Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, vt digneris benedicere ✠ hoc lignum Crucis, vt sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen, & protectio, ac tutela contra sæua iacula inimicorum. Per Christum.

Alia

Alia oratio ad idem.

BEnedic ✠ Domine hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à dæmonum potestate, & superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per lignum vetitum, benedic ✠ etiam Domine, & sanctifica ✠ illud signaculum sacræ passionis tuæ, vt sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus perpetuum semper auxilium. Hic aspergatur aqua benedicta.

Sanctificetur istud lignum in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ vt orantes, inclinantesq. se propter Dominum ante istam crucem inueniant sanitatem corporis & animæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos ante crucem genuflexus deuotè adorat, & osculatur, & idem faciunt quicunque voluerint.

Benedictio Crucis paruæ.

℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine crucem istam, per quam eripuisti mundum à potestate Dæmonum, & superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per ligni præsumptionem. Qui viuis & regnas.

Alia benedictio.

SAnctifica ✠ Domine signaculum istud passionis tuæ, vt sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus in te perpetuum perfice vexillum. Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, Per omnia secula seculorum.

Alia benedictio.

ROgamus te Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, vt digneris benedicere ✠ hoc signum crucis, vt sit remedium humano generi singulare, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, protectio & tutela contra sæua iacula inimici. Per Dominum nostrum.

Benedictio Crucis, quam accipit aliquis causa religionis vel deuotionis, vel desiderans transfretare, vel crucem portare propter memoriam Dominicæ passionis.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & vsque in seculum.
℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlū & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O re-

Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe fili Dei viui, qui dixisti discipulis tuis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me, benedic ✠ hoc signum sanctæ crucis, vt quicunque hoc portauerit causa nominis tui, sit ei tutamentum aduersus insidias diaboli; sit ei salus animæ & corporis, & vita ad cœlestem Hierusalem. ℟. Amen. Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine hanc crucem, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, & superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per vetitum lignum, sanctifica ✠ illud signaculum Dominicæ passionis tuæ, vt sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus in te perpetuum perfice vexillum. Per Dominum.

Alia oratio.

DEus inuictæ potentiæ, maiestatis immensæ, atque peregrinantium totius consolationis auxilium, qui famulis tuis arma victricia tribuis, quæsumus hanc crucem benedicere ✠ digneris, vt venerandæ crucis vexillum sit ei robur inuictissimum contra antiqui hostis tentamenta nequissima, sit ei in via defensio, sit in domo protectio, & vbique præsidium. Per Dominum.

Cùm dat crucem dicit.

ACcipe hoc signum sanctæ crucis, in nomine Domini, quod Christus pro tua & totius mundi salute atque redemptione suscepit, vt possis introire in tabernaculum eius & adorare in loco vbi steterunt pedes eius, & vt possis prospera & aduersa huius mũdi sequi & videre Deum deorum in Sion. Qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Benedictio sacrarum iconum, seu imaginum Dei & Sanctorum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt hanc iconem, in qua sanctæ imagines Filij tui Domini nostri Iesu Christi & vel gloriosæ Virginis Dei genitricis Mariæ, vel sanctorum N. & N. depictæ sunt, benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris, ante quam quicunque ob deuotionem ad ipsam adorandam se deuotè inclinauerint, salutem mentis, & corporis consequantur, & à cunctis periculis liberentur, & quicquid iustè petierint, obtinere mereantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

O re-

Oremus. Alia oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines siue effigies sculpi aut pingi non repudias, vt quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus, & sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc quæsumus imaginem seu sculpturam, in memoriam & honorem tui vel vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi vel beatissimæ virginis Mariæ matris eius vel beati N. Apostoli tui vel Martyris vel Confessoris aut Pontificis, aut Virginis adaptatam, benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris: & præsta vt quicunque coram illa te vel Filium tuum vel beatissimam Virginem vel gloriosum Apostolum, Martyrem, Confessorem, aut Virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus, & obtentu à te gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineat in futuro. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta, & thurificentur.

Benedictio imaginis B. Mariæ Virginis & eius filij Domini nostri Iesu Christi.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus omnipotens, quem omnes spiritus debent veneranter adorare & laudare, benedic ✠ & sanctifica nos & opera nostra, & præsta vt quicunque humiliauerit se mẽte vel corpore in tuo nomine ante hanc imaginem filij tui Domini nostri Iesu Christi, eiusq. genitricis, & benedictionem animæ & corporis mereatur à te accipere, & quod petierit fideliter impetrare. Per eundem.

Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio iconis, seu sacræ imaginis beatæ Mariæ semper virginis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Posteà dicitur Antiphona. Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei genitrix Virgo, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta. Psalmus LXXXVI.

FVndamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylonis: scientium me.

Ecce

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum: hi fuerunt illic.
Nunquid Sion dicet; homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?
Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium: habitatio est in te.
Gloria Patri, &c. Antiphona.
Aue Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Psalmus. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in coelis, &c. dicitur totus cum Gloria Patri. suprà pag. 349.
Interim incensatur imago, posteà dicitur.

Oremus. Oratio.

Deus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares eligere dignatus es: da quæsumus, vt sua nos defensione munitos, iucundos nos faciat suæ interesse venerationi: qui viuis & regnas.

Et sequitur Antiphona. O gloriosa Dei genitrix, virgo semper Maria, quæ Dominum omnium meruisti portare, & Regem Angelorum sola Virgo lactare, nostri quæsumus piè memorare, & pro nobis Christum deprecare: vt tuis sanctis patrocinijs fulti ad coelestia regna mereamur peruenire.

Canticum B. Mariæ virginis. Luc. 1.

Magnificat: anima mea Dominum.
Et exultauit spiritus meus: in Deo salutari meo.
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.
Et misericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.
Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.
Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini eius in sæcula.
Gloria Patri &c.

Oremus. Oratio.

Deus, qui de beatæ Mariæ virginis vtero verbum tuum Angelo nunciante carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, vt qui verè eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui clementiæ tuæ dispositione cuncta ex nihilo creasti, hanc imaginem in honorem pijssimæ genitricis Filij tui Domini nostri Iesu Christi venerabiliter adaptatam benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris: & præsta misericordissime Pater, per inuocationem nominis tui, atque vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu

Christi.

Christi, quem pro salute humani generis, integritate virginis Mariæ seruata incarnari voluisti, quatenus precibus eiusdem sacratissimæ Virginis, quicunque eandem misericordiæ Reginam, & gloriosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerint, & de instantibus periculis eruantur, & in conspectu diuinæ maiestatis tuæ de commissis, & omissis veniam impetrent, atque mereantur in præsenti gratiam, quam desiderant adipisci, & in futuro perpetua saluatione cum electis tuis valeant gratulari. Per eundem.

Oremus. Oratio.

DEus, qui beatissimam virginem Mariam matrem tuam mundi Dominam, cordis illuminatricem, atque nauigantium in fluctibus huius seculi maris stellam & ducem secundùm sacratissimum nomen suum constituisti: concede quæsumus, vt qui hoc dulcissimum nomen recolendo veneramur, & eius imaginem honoramus, in cunctis actibus nostris ab ipsa gubernari, illuminari, atque dirigi mereamur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate.

Postmodùm imago aspergatur aqua benedicta & thurificetur.

Benedictio ad quamcunque imaginem cuiuscunque Sancti vel Sanctæ.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

VIsita quæsumus Domine imaginem istam singulari gratia Spiritus sancti tui, & omnes insidias atque illusiones diabolicas ab ea longè repelle, & Angeli tui sancti sint continuè circa eam, qui orantes vel reuerentiam facientes erga eam in tua oratione & contemplatione conseruent, & benedictio tua sit super illos semper. Per Dominum.

Alia oratio.

OMnipotens sempiterne Deus copiam tuæ benedictionis ✠ super hanc imaginem infunde, vt orans coram te, inde munitus, valeat omnes dæmonum fraudes expugnare & superare, & coram te dignè orare, & quod petierit impetrare. Per Dominum.

Alia oratio.

ROgamus te Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, vt digneris benedicere ✠ hanc imaginem, vt sit remedium humano generi singulare, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, protectio & tutela contra sæua iacula inimici. Per Dominum nostrum.

Benedictio Ciborij siue vmbraculi altaris.

Præfatio.

ORemus fratres chariſſimi, Deum rectorem ac gubernatorem omnium ſeculorum, vt immemor omnium delictorum & facinorum iuuentutis, & ignorantiæ, ſiue temerariæ præuaricationis meæ, iſtud inſtrumentum ad honorificentiam nominis ſui compactum, placitus ac miſericors illuſtratione vultus ſui benedicere ✠ & ſanctificare ✠ dignetur. Per Dominum noſtrum.

Benedictio ſeu conſecratio.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui fideli famulo tuo Moyſi præcepiſti, vt duos Cherubim ſuper arcam Teſtamenti collocaret, quam extenſis ad alterutrum alis protegerent, verſis vultibus in propitiatoriũ, quæſumus ineffabilem clementiam tuam, vt hoc tegumen venerandi altaris tui, in quo ipſe vnigenitus filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, fidelium manibus iugiter immolatur, & ſub quo Sanctorum tuorum corpora, quæ veraciter fuerunt arca Teſtamenti tui, receptacula videlicet Spiritus ſancti: per eundem conſubſtantialem tibi filium, qui factus eſt nobis à te ſanctificatio & redemptio, in virtute eiuſdem ſpiritus veritatis, vniuerſa antiqui hoſtis falſitate cum ſatellitibus ſuis depulſa, cum omnibus ornamentis ad ipſum vmbraculum pertinentibus, aut eidem ſuppoſitis tua ſancta benedictione perfundere & conſecrare ✠ atque ad tuitionem pignorum ſanctorum, ac roboranda ſiue multiplicanda vota fidelium tuorum diutino tempore conſeruare ✠ digneris, annuente eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto Filio tuo: qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus. Per.

Benedictio minoris, ſeu itinerarij Ciborij.

Præfatio.

ORemus dilectiſſimi indulgentiam omnipotentis Dei, vt poſtpoſitis humanæ fragilitatis admiſſis, conſuetæ miſericordiæ ſuæ munere hoc repoſitorium ſacris vſibus præparatum, per vnigenitum Verbum, virtutem ſcilicet, & ſapientiam ſuam in ſpiritu ſanctificationis conſecrare dignetur. Per.

Benedictio ſeu conſecratio. Oremus. Oratio.

COnſecrare ✠ & ſanctificare ✠ dignare quæſumus ſancte Pater omnipotens æterne Deus hoc conditorium ſanctorum pignorum ad recon-

recondenda in eo tuorum munera pretiosa Sanctorum in Christo Iesu Domino nostro. Qui tecum.

De benedictione sacrorum vasorum, & aliorum ornamentorum in genere.

Pontifex vel Sacerdos sacra vasa, vel alia ornamenta benedicere volens, stans cum stola & sine mitra, dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Exaudi Domine Pater clementissime preces nostras, & hæc purificanda vasa, & ornamenta sacri altaris, atque Ecclesiæ tuæ sacri ministerij vsui præparata benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, à quo omnia immunda purgantur, & in quo omnia purgata clarescunt, supplices omnipotẽtiam tuam inuocamus, vt ab his vasis & ornamentis, quæ tibi offerunt famuli tui, omnis spiritus immundus confusus longè discedat, & per tuam benedictionem ✠ ad vsum & ministerium sancti altaris, & Ecclesiæ tuæ sanctificata permaneant. Per Christum Dominũ nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

De benedictione tabernaculi, siue pyxidis pro sacrosancta Eucharistia conseruanda.

Pontifex vel Sacerdos tabernaculum, siue pyxidem auream, vel argenteam, siue aliud vasculum pro conseruanda sacrosancta Eucharistia benedicere volens, stans sine mitra dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, maiestatem tuam supplices deprecamur, vt vasculum hoc pro Corpore Filij tui Domini nostri Iesu Christi in eo condendo fabricatum benedictionis ✠ tuæ gratia dicare digneris. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Tum aspergit illud aqua benedicta.

De benedictione Sacerdotalium indumentorum in genere.

Pontifex Sacerdotalia indumenta benedicere volens, ſtans ſine mitra dicit.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Moyſen famulum tuum Pontificalia, & Sacerdotalia, ſeu Leuitica veſtimenta ad explendum in conſpectu tuo miniſterium eorum ad honorem, & decorem nominis tui fieri decreuiſti, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & hæc indumenta Sacerdotalia, deſuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione per noſtræ humilitatis ſeruitium purificare ✠ benedicere ✠ & conſecrare ✠ digneris; vt diuinis cultibus & ſacris myſterijs apta & benedicta exiſtant: his quoque ſacris veſtibus Pontifices, & Sacerdotes ſeu Leuitæ tui induti, ab omnibus impulſionibus ſeu tentationibus malignorum ſpirituum muniti & defenſi eſſe mereantur, tuiſq. myſterijs aptè & condignè ſeruire & inhærere, atque in his tibi placidè, & deuotè perſeuerare tribue. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

Deus inuictæ virtutis triumphator, & omnium rerũ creator, ac ſanctificator, intende propitius preces noſtras, & hæc indumẽta Leuiticæ Sacerdotalis & Pontificalis gloriæ miniſtris tuis fruenda tuo ore proprio benedicere ✠ ſanctificare ✠ & conſecrare ✠ digneris, omneſq. eis vtentes tuis myſterijs aptos, & tibi in eis deuotè ac laudabiliter ſeruientes gratos efficere digneris. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Deinde aſpergit ipſa indumenta aqua benedicta.
Sic & Sacerdos ſimplex, ſi habet indultum.

Specialis benedictio cuiuſlibet indumenti.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus omnipotens bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus, vt manibus noſtris opem

tuæ benedictionis infundas, & has caligas, & sandalia, vel amictum, vel albam, vel cingulum, vel stolam, vel manipulum, vel tunicellam, vel dalmaticam, vel planetam diuino cultui præparatam, virtute sancti Spiritus benedicere ✠ sanctificare ✠ & consecrare ✠ digneris, & omnibus ea, vel eo, vel eis vtentibus, gratiam sanctificationis sacri mysterij tui benignus concede, vt in conspectu tuo sancti, & immaculati, atque irreprehensibiles appareant, & auxilium misericordiæ tuæ acquirant. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

Benedictio mapparum seu linteaminum sacri altaris.

Pontifex mappas, seu linteamina sacri altaris benedicturus sine mitra, dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Exaudi Domine preces nostras, & hæc linteamina sacri altaris vsui præparata benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio corporalium.

Pontifex corporalia benedicere volens, stans sine mitra, dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Clementissime Domine, cuius inenarrabilis est virtus, cuius mysteria arcanis mirabilibus celebrantur; tribue quæsumus, vt hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione ✠ sanctificetur, ad consecrandū super illud corpus & sanguinem Dei & Domini nostri Iesu Christi, Filij tui, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

Omnipotens sempiterne Deus benedicere ✠ sanctificare ✠ & consecrare ✠ digneris linteamen istud ad tegendum, inuoluendumq́.

corpus,

corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi Filij tui, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, vt per nostram benedictionem ✠ hoc linteamen sanctificetur, & corporis ac sanguinis redemptoris nostri nouum sudarium Spiritus sancti gratia efficiatur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Sic & Sacerdos simplex, si habet indultum.

De benedictione capsarum pro reliquijs, & alijs sanctuarijs includendis.

SI Pontifex sit, qui capsas, aut vasa pro reliquijs, & alijs sanctuarijs includendis benedicere vult, stans cum stola, & mitra, vel si ex delegatione, vel licentia fuerit simplex Sacerdos, cum stola supra superpelliceum, dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus dilectissimi nobis Deum Patrem omnipotentem, vt qui omnia per vnigenitum Filium suum in vnitate Spiritus sancti valdè bona creauit, ipse nobis indignis ad consecrationem harum capsarum reliquijs Sanctorum suorum condendis paratarum, rorem gratiæ suæ clementer infundere dignetur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum, qui cum eo viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Deinde deposita mitra, extensis manibus ante pectus dicit sequentem præfationem.

Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & iustum est.

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus inæstimabilis, Deus ineffabilis, Deus misericordiarum, & totius consolationis, qui Moysi famulo tuo præcepisti, vt iuxta exemplar, quod ei in monte demonstrasti, arcam de lignis imputribilibus construeret, & eam auro mundissimo circumdaret, in qua vrna aurea manna cœlesti plena cum tabulis testamenti digito Maiestatis tuæ conscriptis in testimonium futuris generationibus seruari deberet. Quique nostris se-

culis eadem ſacratiùs intelligenda manifeſtaſti, dum corpus vnici Filij tui de incorrupta Virgine conceptum, & anima rationali viuificatum, omni plenitudine diuinitatis repleſti, te ſuppliciter imploramus omnipotens Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, vt hæc vaſcula Sanctorum tuorũ pignoribus præparata, eiſdem Sanctis tuis intercedentibus, cœleſti benedictione ✠ perfundere digneris: quatenùs, qui horum patrocinia requirunt, ipſis intercedentibus cuncta ſibi aduerſantia te adiuuante ſuperare, & omnia commodè profutura abundantia largitatis tuæ inuenire. Et ſicut illi, te Domine inſpirante, ſpiritualium nequitiarum verſutias cauere, & humanitùs exquiſita tormenta nõ ſolùm contemnere, ſed etiam penitùs euincere Chriſto Domino confortante potuerunt; ita ipſorum merita venerantibus, & reliquias humiliter amplectentibus, contra diabolum, & Angelos eius, contra fulmina, & tempeſtates, contra grandines, & varias peſtes, contra corruptum aerem, & mortes hominum, vel animalium; contra fures & latrones, ſiue gentium incurſiones, contra malas beſtias, & ſerpentium ac reptantium diuerſiſſimas formas, contra malorum hominum adinuentiones peſſimas, eorundem Sanctorum tuorum precibus complacatus dexteram inuictæ potentiæ tuæ ad depulſionem nociuorum, & largitatem proficuorum ſemper & vbique propitius extende.

Quod ſequitur dicit ſubmiſſa voce, ita tamen vt à circumſtantibus poſſit audiri.

Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Tum adhuc ſtans ſine mitra dicit.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui vt murmur inſani populi compeſceres, & Sacerdotium Aaron tibi placitum comprobares, virgam eius aridam germinare, & flores fructiferos producere feciſti, eandemq́. in arca teſtamenti pro ſigno virtutis tuæ poni iuſſiſti: Sed & nobis eodem præſagio Chriſtum in ara crucis arefactum tertia die reſurrectione refloreſcere, & in Eccleſia nouiſſimo tempore reſuſcitanda per mortem ſuam die ac nocte fructificare demonſtraſti, te quæſumus indulgentiſſime generis humani prouiſor, vt hæc vaſcula Sanctorum tuorum receptaculo præparata ita gratuita gratia ſanctifices, vt vbicunque in tuo nomine prolata fuerint, intercedentibus habitatorum ipſorum meritis, cuncta aduerſa repellas, & nullifices, & omnia vtilia multiplices atque cuſtodias, quatenùs fideles tui magnitudine ſiue numeroſitate beneficiorum tuorum in parte modica reliquiarum, integra Sanctorum corpora ſe percepiſſe gratulentur, & per temporalia loca ipſorũ precibus impenſa, ad æterna cum eis gaudia poſſidẽda fiducialius

lius animentur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergat eas aqua benedicta.

Benedictio infantium & puerorum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus innocentiæ restitutor & amator, qui paruulis ad te venientibus manus imponens, eos complexus, repelli a te prohibuisti, quinimò talium esse regnum coelorum dixisti; te humiliter deprecamur, vt super hos pueros rorem tuæ benedictionis ✠ infundas, quatenùs ætate, & moribus proficientes, te sapiant, te diligant, & à mandatis tuis nunquam recedant.

Oremus. Oratio.

EXaudi nos Domine Deus pro his pueris deprecantes, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, sicut Tobiæ puero misisti, qui eos custodiat, foueat, visitet, & defendat, ac de periculis omnibus, & languoribus eruat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde benedicens eos, dicat. Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super vos & maneat semper.

Ordo ad induendam Nouitiam Sororum S. Claræ secundùm primam Regulam & reformationem beatæ Colettæ.

PRimò factis diligentijs & debitis examinibus circa qualitates Nouitiæ, & exploratione voluntatis, & seruatis ordinationibus Regulæ & constitutionibus Ordinis, necnon decretis sacri generalis Concilij Tridentini, alijsq. de iure seruandis, præscribitur dies susceptionis habitus.

Quo die adueniente, ante Missam, tunicæ, & chorda ponuntur ante altare, & dum celebratur Missa, Nouitia, & consanguinei eius illi astantes stent coram altari tenentes candelas accensas, quas offerent post offertorium Sacerdoti.

Finita verò Missa, Nouitia facit confessionem generalem, dicendo: Confiteor Deo omnipotenti, &c. Et Sacerdos facit absolutionem etiam generalem, dicendo: Misereatur tui omnipotens Deus, &c. Indulgentiam absolutionem, &c.

DOminus noster Iesus Christus per suam pijssimam misericordiam te absoluat, & ego auctoritate ipsius ac beatorum Apostolorum eius Petri, & Pauli, & vigore priuilegiorum mihi commissa, absoluo te ab omni vinculo & sententia excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis, & interdicti, si quibus quomodolibet innodata existis, & restituo te vnitati, & participationi fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen.

Deinde Sacerdos stans, absolutè incipiens, dicat.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vsque in seculum.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus. Oratio.

DEus Pater omnipotens, qui per legiferum Moysen famulum tuum, ministris Ecclesiæ sub typo passionis, priscæ legis præcepta dedisti, hanc laneam vestem, quam sancti Patres nostri Franciscus & beatus Antonius ministri Ecclesiæ diuino amore ferre consueuerunt, sanctificare ✠ atque benedicere ✠ & consecrare ✠ tuo proprio ore digneris; vt hæc ancilla tua, quæ eam cupit induere, exuta ab omni sorde vitiorum, cum indumento sanctarum virtutum, ea induatur: quatenus ab omni perturbatione callidi insidiatoris deinceps protecta, in Ecclesia tua sancta de die in diem renouetur. Per Christum Dominum nostrũ.

Et aspergatur aqua benedicta super tunicas seu vestes prædictas.
Posteà verò super Nouitiam, quæ induenda est, dicantur sequentes Orationes.

DEus, qui Abrahæ famuli tui opere, humano generi obedietiæ exemplar tribuisti; concede huic ancillæ tuæ, & suæ voluntatis prauitatem frangere, & tuorũ præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per Christum Dominum nostrum.

O remus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, propitius respice ad preces Ecclesiæ tuæ, & huic ancillæ tuæ, quam ad nouam gratiam vocare dignatus es, fidem rectam, charitatem perfectam, humilitatem veram concede Domine: vt sit in ea simplex affectus & fortis, obedientia perseuerans, pax perpetua, mens pura, rectum & mundum cor, voluntas bona, conscientia sancta, compunctio spiritualis, virtus animæ, vita immaculata, consummatio irreprehensibilis; vt viriliter currens, in tuum introire regnum mereatur. Qui viuis, & regnas Deus in secula seculorum. Amen.

His expletis, aspergat Sacerdos Nouitiam aqua benedicta. Posteà ducant eam consanguinei eius vsque ad portam Conuentus exclusiuè, & cùm Nouitia incœperit ingredi portam, si fuerit Virgo, incipit Sacerdos seu Cantor Antiphonam. **Veni sponsa Christi &c.** quam cantando Sorores ducant Nouitiam ad altare intrinsecum, quod est in Choro.

Finita Antiphona dicatur ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. ℣. Gloria Patri, in octauo tono.

Si verò Nouitia non fuerit virgo, non cantetur Antiphona. Veni sponsa Christi, nec ℣. Beati immaculati, sed cantetur Antiphona. Veni electa mea, & ponam te in thronum meum. Alleluia. Qua finita, cantatur ℣. Beati qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te. in primo tono cum Gloria Patri &c. Et si necesse fuerit, Versus, & Antiphona repetantur.

Quòd si Nouitia reperiatur intra septa Conuentus, inde non egrediatur, sed permaneat cum alijs sororibus intra chorum, & benedictio vestium, & alia huiusmodi fiant à Sacerdote exterius, & deinde porrigantur per Rotam, omissis ijs, quæ dicenda sunt in ingressu.

Perueniens autem Nouitia ad altare interius, genuflectat, & surgens genuflectit ante Abbatissam, & inciduntur ei capilli in forma rotunda: & interim cantatur Antiphona. Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi.

Et si opus fuerit, repetitur vsquequò fuerit detonsa. Deinde surgat, & ante altare prostrata iaceat. Interim verò aliquæ Sorores linteum aut tobaleam, vel aliquod velamen extendentes, Nouitiam pannis suis honestè exuant, quam Abbatissa, vel alia loco eius statim induat tunicis benedictis, dicendo:

Exuat te Dominus veterem hominem cum moribus, & actibus suis, & induat te nouum, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.

Qua induta, Abbatissa incipit Psal. cxx. Leuaui oculos meos in montes, &c. Et eo finito dicant.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluam fac ancillam tuam Domine. ℟. Deus meus sperantē in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. Si Abbatissa dicit orationes, omittitur hic ℣.

℟. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe pastor bone, qui animam tuam pro ouibus tuis posuisti, fac hanc ancillam tuam sacro habitu indutam ante tuum conspectum cum iustitia viuere, & ad misericordiam tuam cum fructu bonorum operum peruenire. Concede, tribueq. ei in fide obedientiam, in labore virtutem, in affectu deuotionem, in actu prosperitatem, in victu abundantiam, in pace lætitiam, in conuersatione gratiam, in tribulatione patientiam, in languoribus sanitatis tuæ medicinam: quatenùs in hoc præsenti tempore per semitam iustitiæ cum felicitate percurrat,

vt te venturum iudicem in nouissima die cum magna hilaritate suscipiat. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas &c.

Finita autē oratione, Abbatissa, vel Sacerdos foris incipiat Hymnum.

Veni creator Spiritus. Et Sorores prosequuntur. Quo finito, dicat Sacerdos.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.
℣. Post partum Virgo inuiolata permansisti.
℟. Dei genitrix intercede pro nobis.
℣. Ora pro nobis beate Francisce.
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. qui Versus omittitur, si Abbatissa ipsa dicat orationes.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Oratio.

COncede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu nouæ prolis amplificas, tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere.

Oratio.

FAmulos tuos quæsumus Domine beatæ virginis tuæ Claræ votiuam commemorationem recensentes, cœlestium gaudiorum, sua facias interuentione participes, & tui Vnigeniti cohæredes.

Oratio.

OMnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos vbique adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Exaudiat nos omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen.

Post hæc erigat se Nouitia, & det pacem Abbatissæ & Sororibus astantibus. Deinde duæ Sorores ducant eam per Chorum, & det pacem per ordinem, sicut stant in Choro, Sororibus vniuersis.

Posteà Nouitia redit ad crates, & genuflectit, & Superior seu Sacerdos qui benedixit vestes, imponet ei aliud nomen, vel confirmabit ei quod habet.

Idem prætereà superior vel Sacerdos, si expedire videbitur, poterit illam alloqui, & declarare ei mysteria, & significationes eorum, & cæremo-

remoniarum factarum; præsertim incisionis capillorum, mutationis vestium, & mutationis nominis, & similium. Et insuper eam consignet, & commendet Magistræ Nouitiarum, vel eius speciali Magistræ, vt illam in rebus spiritualibus, & vita religiosa, & in obseruantia regulæ, & in constitutionibus, & cæremonijs Ordinis instruat, & edoceat omni diligentia & charitate.

Ordo professionis & benedictionis veli Sororum sanctæ Claræ, secundùm primam Regulam, & reformationem beatæ Colettæ.

PRimò fit exploratio voluntatis ab Episcopo, vel eo impedito, ab eius Vicario, & post monita & hortationes, & alias debitas diligentias, cùm compertum fuerit Nouitiam habere suffragia sufficientia, & illam aptam esse & idoneam ad professionem faciendam, & obseruandam regulam, & scire quod est promissura, & aliud impedimentum non existere, præsignatur dies ipsius professionis, & manè paratur Ecclesia, & ponitur velum super altare, dum celebratur Missa; qua finita, acceptura velum, astantibus sibi aliquibus Sororibus maneat intra Chorum, & Superior siue Sacerdos stat foris ante crates, & genuflectit ad altare exterius, & deinde interrogabit Nouitiam de aliquibus rebus necessarijs & salutaribus, ad eius institutionem, puta dicens:

Filia vis facere professionem solennem? Illa respondebit: **Volo.**

Benè cogitasti super hoc? Scisne, & experta es quod promissura es? Est tibi animus cum gratia Dei illud seruare? Liberene & sponte hanc professionem facis? Es nata iam decem & octo annos? Vis maiores inducias seu tempus ad cogitandum super hoc, & ad maiorem probationem faciendam?

Et Nouitia respondeat opportunè. Deinde ante crates genuflectat habens candelam accensam in manu, & aliæ Sorores tenentes candelas similiter accensas, per ordinem stent in Choro, & Nouitia facit confessionem generalem, & Sacerdos absolutionem, vt suprà in ordine ad induendam Nouitiam, pag. 545. Deinde Nouitia accedat ante Abbatissam, & se ad eam vertens corpore genuflexa, mente autem eleuata in Deum, profitetur solenniter quatuor vota, ponens manus suas in manibus Abbatissæ sub hac forma, dicens:

Ego Soror N. voueo & promitto Deo omnipotenti, & beatæ semper virgini Dei genitrici Mariæ, & B. Francisco, & B. Claræ, & omnibus Sanctis, & tibi Mater, toto tempore vitæ meæ seruare formam vitæ pauperum Sororum S. Claræ, ei datam per eundem B. Franciscum, & approbatam à Domino Papa Innocentio IIII. viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate, seruando debitam clausuram, ordinatam per constitutiones Ordinis.

Et

Et Abbatissa, quæ illam recipit, promittat, & dicat ei.

Et ego ex parte Dei omnipotentis, si hæc ipsa obseruabis, promitto tibi vitam æternam. Et astantes dicant. Amen.

Posteà Nouitia professa genuflectat ante cratem, tenendo candelam accensam, & Superior siue Sacerdos accedens ad crates, benedicit velum, & absolutè incipiat, dicens:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terrã.
℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & vsque in seculum.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, vt hoc genus velaminis, quod sanctus Pater noster Franciscus & sancti Patres ad innocentiæ & humilitatis indicium abrenuntiantibus seculo Sororibus ferre sanxerunt, tu ita benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris, vt hæc famula tua, quæ hoc vsa fuerit, te induere mereatur. Qui cum Patre &c. Posteà super eam dicat.

Oremus. Oratio.

Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti, quiq. mũdum peccatis inueteratum, per mysterium sanctæ incarnationis eius renouare dignatus es, te suppliciter exoramus, vt eiusdem Domini nostri Iesu Christi gratiam super hanc famulam tuam, abrenuntiationem seculi profitentem clementer infundere digneris, per quam in spiritu suæ mentis renouata, veterem hominem cum suis actibus exuat, & nouum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Posteà Sacerdos aspergat velum aqua benedicta, & ipsemet, vel duæ Sorores incipiant sequentem Litaniam, & Sorores in Choro residentes respondeant vniuersæ.

Kyrie eleison. Christe eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus	Miserere ei.
Fili Redemptor mundi Deus	Miserere ei.
Spiritus sancte Deus	Miserere ei.
Sancta Trinitas vnus Deus	Miserere ei.
Sancta Maria	Ora pro ea.
Sancta Maria	ora.
Sancta Maria	ora.
Sancta Dei genitrix	ora.
Sancta Virgo Virginum	ora.
Sancte Michael	ora.
Omnes sancti Angeli, & Archangeli	orate.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines	orate.
Sancte Petre	ora.

S ancte Paule. ora.
O mnes sancti Apostoli, & Euangelistæ orate.
O mnes sancti Martyres orate.
S ancte Francisce ora.
O mnes sancti Confessores orate.
S ancta Clara ora.
S ancta Elisabeth ora.
O mnes sanctæ Virgines, & viduæ orate.
P ropitius esto Parce ei Domine.
A b omni malo Libera eam Domine.
P er mysterium sanctæ Incarnationis, Resurrectionis, & Ascensionis tuæ libera.
P eccatores Te rogamus audi nos.
V t hanc famulam tuam ab omni tentatione eripere digneris, te rog.
A gnus Dei qui tollis peccata mundi Parce nobis Domine.
A gnus Dei qui tollis peccata mundi Exaudi nos Domine.
A gnus Dei qui tollis peccata mundi Miserere nobis.
K yrie eleison. C hriste eleison. K yrie eleison. P ater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus. Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & hanc famulam tuam, cui in tuo sancto nomine velum sacræ religionis imponimus, benedicere ✠ dignare, & per intercessionem beatissimæ & gloriosissimæ virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, atque beati Francisci, & beatæ Claræ, & aliorum omnium Sanctorum facias à vanitate seculi veraciter conuerti, & in obseruantiam sancti huius propositi certatim feruere, vt in tribulationibus, tentationibus, & angustijs indeficiens, tua vera consolatione valeat respirare, & iustè ac piè, casteq. per veram humilitatem, & obedientiam in fraterna charitate fundata, quod te donante hodie promittit, felici perseuerantia compleat, & ad vitam peruenire mereatur æternam. Qui cum Deo Patre & eius Filio Domino nostro Iesu Christo & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus. Per omnia, &c.

Et statim Sacerdos, aut vna ex Sororibus incipiat Hymnum: V eni creator Spiritus. Interim verò Sacerdos, dum cantatur Hymnus, imponat ei velum per fenestellam cratis, per quam consueuerunt Sorores communicare, dicens ei.

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis, & induat te nouum, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Et subdat:

Accipe ancilla Christi sanctum velum professionis tuæ, sacrum signaculum in perpetuum, cum quo feliciter valeas peruenire ad regna coelorum. Per Christum Dominum nostrum.

His actis, Nouitia professa det pacem Abbatissæ, & omnibus alijs Sororibus: Deinde Nouitia professa redeat ad cratem, vbi Superior seu Sacerdos, qui eam recepit, admoneat ad perseuerandum vsque in finem, & consignabit eam Abbatissæ, dicens:

Commendo tibi hanc sponsam Christi, vt conseruetur vsque ad diem iudicij sine macula in conspectu altissimi Regis Christi Iesu. Et si tua culpa vel negligentia non fuerit instructa, reddes districtam rationem ante conspectum Domini Iesu Christi: Qui viuit, & regnat cum æterno Patre in secula seculorum. Amen.

Finitis omnibus, qui recepit Nouitiam ad professionem, dicat.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo tuo sancto, quod est in Hierusalem.

℣. Post partum virgo, &c. cum reliquis Versibus, & Responsorijs, & Orationibus, quæ habentur suprà in fine Ordinis ad induendam Nouitiam.

Ordo confirmationis Abbatissæ, vel Priorissæ Ordinis S. Claræ.

Primò facta electione Abbatissæ seu Priorissæ iuxta Regulam, seu constitutiones Ordinis, extra tamen claustra Monasterij, ante fenestellam cancellorum, iuxta decretum sacri Concilij Tridentini, illaq; à Superiore, vel à Visitatore approbata, Cantor siue Sacerdos incipiat.

Te Deum laudamus. & prosequuntur Moniales cantantes binæ processionaliter exeuntes de Capitulo ad Ecclesiam, & deducant electam ad Ecclesiam in Chorum, & quousque finiatur Te Deum laudamus. coram altari iaceat prostrata. Quo finito dicat Superior seu Visitator vel Sacerdos.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo tuo, quod est in Hierusalem.

℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Actio-

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

PRætende Domine famulæ tuæ dexteram cœlestis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Posteà per cancellos det Abbatissæ sigillum coràm omnibus, & mandet ei in vim sanctæ obedientiæ, vt exequatur ex tunc iniunctum sibi munus, & Sororibus vniuersis, vt obediant ei in omnibus, quæ ad eius officium pertinebunt: Et omnes Sorores dent obedientiam Abbatissæ osculando eius manus.

Et demùm benedicantur à dicto Superiore, vel Sacerdote.

Et benedictio Dei Patris omnipotentis descendat super vos & maneat semper. ℟. Amen.

Ordo recipiendi mulierem in Monasterium.

SEruatis omnibus, quæ per sacros Canones, & sacrosanctum Concilium Tridentinum, ac per regulas, vel constitutiones Monasterij approbatas circa receptionem, & admissionem mulierum in Monasterium, decreta sunt: Cùm tempus suscipiendi habitum regularem aduenerit, explorata priùs iuxta dicti Concilij decreta per Ordinarium loci, vel alium ab eo deputatum, puellæ libera voluntate, Sacerdos de eiusdem Ordinarij mandato id munus exercens, superpelliceo & stola indutus, vel si manè fiat post Missam, deposita casula, & manipulo, stans ad altare, primùm benedicit vestes ante se positas, dicens:

Benedictio vestium.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus æternorum bonorum fidelissime promissor, & certissime persolutor, qui vestimentum salutare, & indumentum æternæ iucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, vt hæc indumenta humilitatem cordis, & contemptum mundi significantia, quibus famula tua sancto visibiliter est informanda proposito, propitius benedicas, vt beatæ castitatis habitum, quem te inspirante suscipit, te protegente custodiat; & quam vestimentis venerandæ promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit vestes aqua benedicta, & dantur Abbatissæ, vel Priorissæ, quæ coràm Monialibus iuxta instituta Monasterij puellam ante se genuflexam induit vestimentis prædictis, dicens:

Exuat te Deus veterem hominem cum actibus suis, & induat te nouum, qui

qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis: & indutam ad complexum recipit, similiter & aliæ Moniales eam recipiunt. Posteà cantatur Hymnus. Veni creator spiritus. quo finito, prædicta Abbatissa seu Priorissa, dicit:

℣. Emitte spiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Oratio.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ordo professionis per Moniales emittendæ.

Anno probationis expleto, cùm Nouitia professionem est emissura, explorata priùs per Episcopum seu eius deputatos illius voluntate, ac seruatis omnibus per sacros Canones, & Concilium Tridentinum decretis, alijsq. sui Ordinis & Monasterij constitutionibus, & congregato Monialium Capitulo votisq. omnium desuper receptis, ac celebrata Missa, ipsa Nouitia genuflexa coràm celebrante de superioris mandato emittat professionem Regulæ, & eam legat in scriptis Latino, vel vulgari idiomate secundùm Monasterij consuetudinem approbatam: qua lecta, si tunc, vel alia die dandum sit ei velum, celebrans peracta Missa, illud benedicit in altari, dicens:

Benedictio veli.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Caput omnium fidelium Christe Deus, & totius corporis Saluator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua, propter tuum, tuæq. Genitricis beatissimæ semper virginis Mariæ amorem, suo capiti est impositura dextera tua sanctifica ✠ vt hoc, quod per illud mysticè datur intelligi, tua semper custodia corpore pariter, & animo incontaminata custodiat: vt quando ad remunerationem perpetuam Sanctorum cum prudentibus & ipsa virginibus præparata aduenerit, te perducente ad sempiternæ felicitatis nuptias introire mereatur. Qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Et velum ipsum Sacerdos aqua benedicta aspergit.

Deinde datur Abbatissæ, vel Priorissæ, quæ Moniali coràm se genuflexæ illud imponat; deinde in choro dicitur Hymnus. Te Deum laudamus. quo expleto Sacerdos ad altare dicit sequentem Orationem.

Oremus. Oratio.

Exaudi Domine preces nostras: & super hanc famulam tuam spiritum tuæ benedictionis emitte: vt cœlesti munere ditata & tuæ gratiam

tiam maiestatis possit acquirere, & bene viuendi alijs exemplum præbere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Priorissæ, vel Abbatissæ, quæ fit per simplicem Sacerdotem.

MOniales audita Missa de Spiritu sancto, in qua omnes communicauerint, congregant Capitulum, & per vota secreta astante Ordinario loci, vel earum Superiore, vel alio ad id deputato, Abbatissam vel Priorissam iuxta Regulam, & constitutiones approbatas Monasterij, & secundùm decreta Concilij Tridentini eligunt: quæ electa à duabus senioribus Monialibus ducitur ad Superiorem, seu alium Sacerdotem deputatum ibi præsentem, coràm quo fiant cæremoniæ in eodem Monasterio consuetæ, seu genuflexa promittit seruare constitutiones generales, ac Ordinis speciales, reformationes & statuta Monasterij, & illius consuetudines approbatas, quæ sacris Canonibus & decretis memorati Concilij non contradicunt: Deinde erigitur à duabus prædictis Monialibus, & collocatur in sua sede, & à singulis Monialibus præstatur ei obedientia, seu in signum obedientiæ, salutatur secundùm morem Ordinis, vel Monasterij; posteà cantatur Hymnus. Te Deum laudamus. & in fine à Sacerdote dicitur sequens oratio.

Oremus. Oratio.

COncede quæsumus omnipotens Deus famulæ tuæ N. Abbatissæ vel Priorissæ, vt ostendendo, & exercendo, quæ recta sunt, exemplo bonorum operum, animas suarum instruat subditarum, & æternæ remunerationis mercedem à te pijssimo pastore percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De modo recipiendi Sorores Tertiarias, siue cuiuscunque Ordinis Pizocharas.

Benedictio corrigiæ, vel chordæ.

Guardianus siue Prior dicit.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne & misericors Deus, qui pietatis tuæ misericordiam peccatoribus quærentibus veniam, & misericordiam tribuisti, oramus immensam clementiam tuam, vt has corrigias *vel* chordas benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris: vt quæcunque pro peccatis.

catis ſuis cinctæ fuerint, & miſericordiam tuã implorauerint, veniam, & indulgentiam tuæ ſanctæ miſericordiæ conſequantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio veli.

Benedic ✝ quæſumus omnipotens Deus velamina iſta capitibus famularum tuarum vel capiti famulæ tuæ imponenda, vt in eas vel in eam benedictio ✝ tuæ benignitatis deſcendat, & ſit in eis, vel in ea ſanitas, ſanctitas, caſtitas, virtus, & victoria, ſanctimonia, humilitas, bonitas, & manſuetudo, legis plenitudo, & obedientia: Et Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti adſit ſemper benedictio ✝. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio chlamydis, ſeu veſtis.

Deus qui veſtimentum ſingulare ad indumentum æternæ iucunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, vt hæc indumenta humilitatem cordis, & contemptum mundi ſignificantia, quibus famulæ tuæ, vel famula tua in ſancto ac firmo propoſito veſtiri deſiderant, propitius benedicas, ✝ & caſtitatis habitum, quem te inſpirante ſuſcipiunt, te protegente cuſtodiant; vt quas vel quam venerandæ profeſſionis veſtibus induis temporaliter, beata facias immortalitate veſtiri. Per.

Oratio.

Domine Ieſu Chriſte, qui tegumen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres ad humilitatis indicium ferre ſanxerunt, ita benedicere ✝ digneris; vt hæ famulæ tuæ, vel hæc famula tua, quæ eo vſæ fuerint vel vſa fuerit, te induere mereantur. Qui viuis & regnas.

Benedictio.

Pater noſter. Oremus. Oratio.

Domine Ieſu Chriſte, qui diſcipulos tuos orare docuiſti, ſuſcipe quæſumus benedicendo ✝ orationes famularum tuarum vel famulæ tuæ, vt illarum vel illius oratio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Qui viuis & regnas.

Completa benedictione aſperguntur aqua benedicta tàm veſtimenta, quàm ipſæ mulieres; poſteà cùm exuuntur priores veſtes, dicat hanc orationem.

Exuat vos, vel te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis, & renouemini vel renoueris ſpiritu mentis veſtræ, *vel* tuæ, & induite vos vel indue te nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Poſteà dicuntur ſequentes orationes.

Oremus. Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, vt has famulas tuas, vel hanc famulam tuam benedicere ✠ digneris, quibus, vel cui in tuo nomine habitum sanctæ Religionis imposuimus, vt te largiente deuotæ, vel deuota in Religione persistant, vel persistat. Per.

Oremus. Oratio.

DEus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil bonum inchoatur, nihilq́. bonum perficitur, adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures, & has famulas tuas, vel hanc famulam tuã, quibus, vel cui in tuo sancto nomine habitum Religionis imponimus, à mundi impedimento, & seculari desiderio defende; & concede eis, vel ei in hoc sancto proposito deuotè persistere, vt remissione peccatorum percepta, ad electorum tuorum valeant, vel valeat peruenire consortium. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Posteà cùm corrigia, vel chorda præcinguntur, dicitur.

Accipite corrigias super lumbos vestros, vt sint lumbi vestri præcincti in signum castitatis & temperantiæ. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠.

Posteà det eis candelas accensas, dicens:

Et sit lucerna ardens in manibus vestris in signum pudicitiæ, & honestatis. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠.

Posteà imponat eis velũ, seu velamen albũ, dicens in numero singulari.

Accipe velum super caput tuum in signum obedientiæ, munditiæ, & puritatis: in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠.

Deinde cùm volunt induere chlamydem, dicit:

Accipe chlamydem nigram in signum pœnitentiæ, & mortificationis, vt mortua mundo, Deo viuas: in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠.

Deinde dentur eis Pater noster, seu coronæ.

Nunc accipe signum orationum in manibus tuis, vt more contemplantium, contempta felicitate terrena, & præsentem vitam habeas in pœnitentia, & in desiderio futuram, cupiens dissolui, & esse cum Christo. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠.

Posteà cantat: Veni creator Spiritus. totum, & posteà.

℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.

℣. Post partum Virgo immaculata permansisti.

℟. Dei genitrix intercede pro nobis.

Quoad Sorores sancti Augustini.

℣. Ora pro nobis beate Augustine.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Ora pro nobis beata Monica.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Quoad Sorores sancti Francisci.

℣. Ora pro nobis beate Francisce.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Ora pro nobis beata Clara.
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Quoad Sorores ſancti Auguſtini.

COncede quæſumus omnipotens Deus, vt qui peccatorum noſtrorum pondere premimur, beati Auguſtini Confeſſoris tui patrocinio ſubleuemur.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, vt ſicut de beatæ Monicæ viduæ tuæ commemoratione gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu.

Quoad Sorores ſancti Franciſci.

DEus, qui Eccleſiam tuam beati Franciſci meritis fœtu nouæ prolis amplificas, tribue nobis ex eius imitatione terrena deſpicere, & cœleſtium donorum ſemper participatione gaudere.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, vt ſicut de beatæ Claræ virginis tuæ commemoratione gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu.

PRætende Domine famulabus tuis dexteram cœleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant, conſequi mereantur.

ACtiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Finitis orationibus, Prior, vel Guardianus dicat, eis porrigendo librum Euangeliorum in manibus earum.

Vos promittitis obedientiam, & caſtitatem ſeruare, & viuere ſecundùm vitam, & ordinationem Sororum veſtrarum?

Poſtquàm promiſerint, dicat eis Prior:

Dominus, qui cœpit in vobis opus bonum, ipſe perficiat in augmentum gratiæ & gloriæ meritis beati Patris noſtri Auguſtini, eiuſq. deuotiſſimæ matris Monicæ. Amen.

Vel ſi ſunt Sorores S. Franciſci, Guardianus dicat:

Dominus, qui cœpit in vobis bonum opus, ipſe perficiat in augmentum gratiæ & gloriæ meritis beati Patris noſtri Franciſci, & beatæ Claræ virginis. Amen.

His finitis, Prior vel Guardianus dicat:

Ego auctoritate Patris noſtri Prioris Generalis, vel Patris noſtri Miniſtri Gene-

Generalis ex Indulto Apostolico concessa, & mihi commissa, qua fungor, recipio, atque accepto vos in Ordinem nostrum sub ista Congregatione Sororum, & participes vos facio omnium bonorum operum, quæ in toto eodem Ordine nostro fiunt.

De benedictione Viduæ castitatem profitentis.

VIdua quæ soluta est à lege viri, si seipsam vult Deo dare, debet & à Presbytero velari, vel etiam consecratum ab Episcopo velamen de altari accipere, & ipsa sibi, non Episcopus, illud debet imponere. Presbyteris verò licet viduas velare, solis Episcopis Virgines, & hoc ante Euangelium.

In benedictione igitur viduæ castitatem profiteri volentis, in Ecclesia vel Cappella paratur altare ornatum cum cruce & candelabris, & in eo parantur vestes & velum, aqua benedicta cum aspersorio, & alia necessaria; & Sacerdos Missam celebraturus se deuotè præparat.

Ipsa vidua præsente in Ecclesia, dicatur:

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

COnsolare Domine hanc famulam tuam viduitatis laboribus constrictam, sicut consolari dignatus es Sareptanam viduam per Heliam Prophetam: Concede ergo ei pudicitiæ fructum, vt antiquarum non meminerit voluptatum; nesciat etiam incentiua desideria vitiorum, sed tibi soli subdat proprium collum, quo possit pro tantis laboribus sexagesimum percipere gradum, munusq. delectabile sanctitatis. Qui viuis & regnas.

Alia oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus, vt hæc famula tua, quæ pro spe retributionis promissi muneris se tibi Domine desiderat consecrari, plena fide, animoq. in sancto proposito permaneat: tribue ei pro operibus gloriam, pro pudore reuerentiam sanctitatis, vt ad merita possit æternæ gloriæ peruenire. Per.

Deinde dicitur Missa de festo, vel de Dominica.

Et dicto Kyrie eleison, & Gloria in excelsis Deo, si dicendum est, dicat orationem Missæ, de qua facit officium, & de consecratione Viduæ, sub vna conclusione cum ista.

Oratio.

DA quæsumus Domine huic famulæ tuæ, quam viduitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum, vt perfectam tibi offerat plenitudinem, & initia sua perducere mereatur ad finem. Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et Sacerdos prosequitur Missam vsque ad Euangelium exclusiuè.

Posteà vidua accedens ad altare cum cereo accenso in manibus, flectit genua coràm eo ante ipsum altare; & tunc ipse eam interrogat, dicens:

Vis in sancto viduitatis proposito perseuerare, & Dominum Iesum

Christum sponsum accipere? Et illa respondet: Volo.

Tunc manibus iunctis inter ambas manus ipsius, ipse interrogat eam, dicens:

Promittis te perpetuò viduitatem seruaturam? Et illa respondet: Promitto. Et ipse dicit: Deo gratias.

Postea benedicit vestes & velum eius, dicens:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Visibilium & inuisibilium creator Deus, adesto propitius, vt hæc indumenta sanctitatis effigiem ostendentia, desuper gratia tua irrigante benedicere & sanctificare digneris. Per.

Alia oratio.

Deus æternorum bonorum fidelissime promissor, & certissime persolutor, qui vestimentum salutis & indumentum iucunditatis æternæ tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, vt hæc indumenta humilitatem cordis, & contemptum mundi significantia, quibus famula tua sancto est visibiliter informanda proposito propitius benedicas ✠ & beatæ castitatis habitum, quem te inspirante suscipit, te protegente illibatè custodiat; & quam vestimentis venerandæ promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia oratio.

Domine Deus bonorum dator, virtutum & omnium benedictionum largus infusor, te obnixis precibus deprecamur, vt has vestes, quas famula tua pro indicio cognoscendæ religionis induere vult, benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris, vt inter reliquas fœminas tuo cognoscatur dicata amictu. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat vestes aqua benedicta.

Postea benedicat velum, dicens.

Suppliciter te Domine rogamus, vt super hoc velum, capiti ancillæ tuæ imponendum, benedictio ✠ tua benignè descendat, vt sit hoc velum benedictum & consecratum, & præsens ancilla tua sancta & immaculata. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Quo facto, legatur Euangelium, & illa interim in aliquo loco secreto benedictas vestes induit; & dicto Euangelio & Offertorio reuertitur, & ipsa prostrata ante altare agitur Litania. Post Litaniam, cùm surrexerit, accipit velamen benedictum ab Episcopo de altari, & imponit illud sibi super caput. Vel si Presbyter benedixit, illud ponat super caput eius genuflexæ, dicens:

Accipe velamen viduitatis & continentiæ signum, per quod Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi sit tibi vmbraculum contra æstum malarum tentationum. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

INcorruptæ æternitatis & inuiolabilis naturæ Deus, te suppliciter exoramus pro hac famula tua, quæ corpore & mente perfectè continentiam tibi seruaturam se deuouit; vt ei Spiritus sancti donum largiter infundas, ac perfectam constantiam tribuas, & continentiæ perseuerantiam. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Oremus. Oratio.

REspice Domine famulæ tuæ tibi debitam seruitutem, vt inter humanæ fragilitatis incerta nullis aduersitatibus opprimatur, quæ de tua protectione confidit. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Oratio post assumptum velamen.

FAmulam tuam Domine tuæ custodia muniat pietatis, vt continentiæ sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illæsum custodiat. Per.

Alia oratio.

DOmine Iesu Christe omnium Deus, qui inter cætera virtutum documenta ad salutem nostram vigorem castitatis & pudicitiæ reparasti; te supplices exoramus, vt hanc sororem nostram viduam ad gratiam pietatis tuæ ex toto corde conuersam, ab omnibus tentationibus inimicorum tutam defensamq. custodias, hæc capitis velamina ad interioris hominis tutamen perseuerare facias. Per.

Alia oratio.

COnfirma hoc Deus, quod operatus es in hac vidua, vt fideliter custodire valeat promissiones, quas promisit tibi, vt castitatem corporis & animæ exhibere Deo valeat, & dignè occurrat, vt sexagesimum fructum cum electis socijs eius participare mereatur. Per.

Alia oratio.

DOmine Deus virtutum cœlestium æterne dominator, tibi supplices effundimus preces, vt hanc famulam tuam consecrare digneris, quã de pristina conuersatione ad nouitatem vitæ expolians veterem hominem, & induens nouum, conuerti fecisti, vt sicut Anna Prophetissa multis temporibus vestibus viduitatis induta in templo gloriæ tuæ ieiunijs & orationibus fideliter deseruiuit, sic & hæc famula tua tibi soli Deo in Ecclesia tua deuota mente deseruiat. Per.

Quo facto, offerat ipsa cereum accensum, quem tenebat, vel aliam candelam accensam Sacerdoti.

Secreta dicenda cum Secreta propriæ Missæ sub vno Per Dominum.

REspice Domine propitius ad hostiam nostræ seruitutis tuo conspectui immolandam, vt hæc famula tua N. viduitatis sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Per Dominum nostrum. ℞. Amen.

Et postquam Sacerdos in Missa communicauerit, facta confessione & data absolutione, communicet eam.

Post communionem sub vno Per Dominum.

PVrificent nos quæsumus Domine Sacramenta quæ sumpsimus, & famulam tuam ab omni culpa liberam esse concede, vt quæ conscientiæ suæ reatu constringitur, cœlestis remedij plenitudine glorietur. Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio domorum in Sabbato sancto Paschæ.

PArochus seu alius Sacerdos ad id deputatus superpelliceo & stola alba indutus, cum Acolutho deferente vas aquæ ex benedictione fontium, ante perfusionem Chrismatis acceptæ: visitat domos suæ Parochiæ aspergens eas eadem aqua benedicta. Cùm ingreditur domum dicit: **Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea.** Deinde aspergens loca principalia domus, & eos qui in ea manent dicit Antiphonã. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, alleluia; & omnes ad quos peruenit aqua ista salui facti sunt alleluia, alleluia. Psalmus. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen. repetitur Antiphona. Vidi aquam. Deinde.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

EXaudi nos Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, & sicut domos Hebræorum in exitu de Aegypto agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum in quo immolatus est Christus figurabat) ab Angelo percutiente custodisti, ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia benedictio domorum fidelium cum aspersione aquæ benedictæ.

SAcerdos, vel Clerici volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore intra annum aspergere aqua benedicta, dicant Antiphonam. **Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.** Psal. L. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen. Et repetitur Antiphona. Asperges me

Domine

Domine hyssopo & mundabor: lauabis me & super niuem dealbabor.
Et deinde dicuntur sequentes orationes.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
Si fuerit Sacerdos, addat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra: descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio; vt in his manufactis habitaculis cum salubritate manentes, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, vt siqua sunt aduersa, siqua contraria in hac domo famuli tui N. auctoritate maiestatis tuæ longè pellantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et dum Psalmus & Orationes dicuntur, Clerici aspergant aquam per totam domum.

Alia benedictio loci vel domus.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

Benedic ✠ Domine Deus omnipotens locum istum, vel domum istam, vt sit in eo vel in ea sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio, Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, vel super hanc domum, & super habitantes in eo, vel in ea. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio nauis magnæ.

Sacerdos nauem benedicturus, accepto superpelliceo, & stola nauem ingreditur; & stans in puppi eius, dicit Versum. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. Deinde Psalm. CVI. Confitemini Domino.
Sacrificent sacrificium laudis: & annuntient opera eius in exultatione.

Qui descendunt mare in nauibus: facientes operationem in aquis multis.
Ipsi viderunt opera Domini: & mirabilia eius in profundo.
Dixit & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus eius.
Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.
Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.
Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de necessitatibus eorum eduxit eos.
Et statuit procellam eius in auram: & siluerunt fluctus eius.
Et læti sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorũ.
Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominũ.
Et exaltent eum in Ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum.
Gloria Patri. Posteà dicit ℣. Domine exaudi orationem meam.
℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Respice in nos omnipotens Deus de cœlo sancto tuo: & dignare benedictione cœlesti huic benedicere ✠ naui, in qua sancto comitante Angelo tuo ambulantes, itinere recto, & prospero dirigere, & ab omni tristitia & tempestate eripere digneris: vt ad patriam & ad portum salutis reuersi, te, cum alacritate mentis exultantes, laudent Creatorem vniuersorum. Qui cum Filio tuo benedicto Domino nostro Iesu Christo, & cum Spiritu sancto viuis & regnas Deus in secula seculorum. ℞. Amen.

Deinde dicit ℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundum Marcum.

Mar. 4. IN illo tempore. Vna die cùm serò esset factum, dixit Iesus discipulis suis: Transeamus contra. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita vt erat in naui. Et aliæ naues erant cum illo. Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: Et excitant eum, & dicunt illi: Magister non ad te pertinet quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?

Deinde dicit. Oremus. Oratio.

Benedic ✠ Domine hanc nauim: sicut benedixisti filijs Israel de Aegypto per manum Moysi exeuntibus, & per mare rubrum transeuntibus: sic nauim istam, & famulos tuos in ea nauigantes benedicere ✠ & ad destinatum locum perducere digneris. Per Dominũ nostrum.

Deinde dicitur Psalmus XXVIII.

Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum.
Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini

nini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.
Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.
Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.
Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.
Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.
Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum, & commouebit Dominus desertum Cades.
Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa, & in templo eius omnes dicent gloriam.
Dominus diluuium inhabitare facit: & sedebit Dominus Rex in æternum.
Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.
Gloria Patri. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos aspergit totam puppim aqua benedicta, & postea procedit ad medium nauis, & dicit.
Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore, Iussit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare: vespere autem facto, solus erat ibi. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos Iesus ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt, dicentes. Quia phantasma est, & præ timore clamauerunt. Statimq. Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait. Veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum: videns verò ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi clamauit, dicens: Domine saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum apprehendit eum: & ait illi, modicæ fidei quare dubitasti? Et cùm ascendisset in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant venerunt & adorauerunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es. Matth. 14.

Deinde. Oremus. Oratio.

DOmine Deus noster, qui gubernasti Noe super vndas diluuij, & manus Petro extendisti: porrige dexteram tuam super hanc nauim, & super nauclerum & nautas eius, & dona ipsis famulis tuis sanitatem animæ & corporis, & ad portum salutis eos perducere digneris illæsos. Qui viuis & regnas &c.

Deinde dicitur Psalmus LXXVI.

VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisiui: manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.
Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.
Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus.
Cogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui:
Et meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum.
Nunquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet vt complacitior sit adhuc?
Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem?
Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?
Et dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.
Memor fui operũ Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorũ.
Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.
Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia.
Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioseph.
Viderunt te aquæ Deus: viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.
Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.
Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.
Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: cõmota est & contremuit terra.
In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.
Deduxisti sicut oues populum tuum: in manu Moysi & Aaron.
Gloria Patri. Dum dicitur hic Psalmus, Sacerdos aspergit nauim in medio ex omni parte, & posteà procedit ad proram nauis, & dicit, Dominus vobiscum.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

Luc. 5. IN illo tempore. Cùm turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei: & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem. Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi. Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui

erant

erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.

Deinde. Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui in similitudinem nauis Ecclesiæ Noe arcam fieri voluisti, vt inundante diluuio, soli qui in ea inuenti essent saluarentur: suppliciter exoramus clementiam tuam, vt huic naui saluberrimum profectionis cursum passim, iugiterq. concedas. Qui viuis & regnas &c.

Postremò dicitur Psalmus XLV.

DEus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt Regna: dedit vocem suam, & mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Gloria Patri. Dum hic Psalmus dicitur Sacerdos aspergit totam proram ab omni parte aqua benedicta, & posteà reuertitur ad medium nauis, & dicit. Dominus vobiscum.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Ioannem.

IN illo tempore. Cùm cognouisset Iesus, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Vt autem serò factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. Et cùm ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum. Et tenebræ iam factæ erant: & non venerat ad eos Iesus: Mare autem vento magno flante exurgebat. Cùm remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare, & proximum naui fieri, & timuerunt. Ille autem dicit eis. Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in nauim, & statim nauis fuit ad terram, in quam ibant. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Ioan. 6.*

Oremus. Oratio.

DEus, cuius in mari viæ & semitæ in aquis multis, intende supplicantium preces, & famulos tuos in hac naui constitutos, maris semitas peragrantes, quos Sacramentorum tuorum perfudit gratia, potentiæ tuæ dextera protectos regas, & in fluctibus gubernes aduersùs omnes formidines, atque infortunia: omnibusq. in hac naui contentis substantijs, atque impositis benedicas ✠ eorumq. lucra multiplices, ac contra cuncta terrarum & maris discrimina, eos propitius defensare

ſenſare digneris. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Aue Maria. Credo in Deum &c.

Cùm dicitur Pater. & reliqua. Sacerdos aſpergat aquam benedictam per totam nauim. Poſteà completo Credo. dicat ℣. In mari viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.
℟. Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Oremus. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui beatum Petrum Apoſtolum tuum ſuper mare ambulantem ad te venire iuſſiſti, & Coapoſtolum eius Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberaſti, benedicere ✠ digneris hanc nauim, & famulis tuis in ea nauigantibus in tua miſericordia confidentibus adeſſe digneris, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti ad loca deſtinata, & ad portum ſalutis ſine impedimento ſani & incolumes valeant peruenire. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠ deſcendat ſuper hanc nauim, & nauigantes in ea, & maneat ſemper. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Initium ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Ioan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Deinde dicitur Antiphona. Salue Regina. & in fine ℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus. Oratio.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosæ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Breuior benedictio nauis nouæ.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℞. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & benedic ✠ nauim istam dextera tua sancta, & omnes, qui in ea vehentur: sicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluuio. Porrige eis Domine dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti super mare; & mitte sanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet & custodiat eam semper à periculis vniuersis, cum omnibus, quæ in ea erunt: & famulos tuos repulsis aduersitatibus portu semper optabili, cursuq. tranquillo tuearis: transactisq. & rectè perfectis negotijs omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio reuocare digneris. Qui viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. ℞. Amen.
Aspergat nauim aqua benedicta.

De benedictione puerorum, qui à parentibus ad Ecclesiam adducuntur, vt à Sacerdotibus benedicantur.

SOlent alicubi laudabiliter & catholicè pueri à parentibus ad Ecclesiam adduci, vt à Sacerdotibus benedicantur. Cùm igitur pueri fuerint in Ecclesia præsentati, Sacerdos Missam propriam pro benedictione puerorum, si habetur, celebret; si verò non habetur, saltem Missam de sancta Maria, vel de Angelis, vel de die. Et si post Missam, sic paratus, vel si Missam non dixerit, cum superpelliceo & stola stans ante altare conuersus ad pueros coràm altari genuflexos, dicit:
℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℞. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus, pueris istis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, benedicere ✠ digneris: & per virtutem sancti Spiritus corda eorum corrobora, vitam sanctifica, castimonia decora, & sensus eorum in bonis operibus munias & informes: prospera tribue, pacem concede, salutem confer, charitatem largire, & ab omnibus diabo-

diabolicis, atque humanis insidijs tua protectione, & virtute semper defende: & in finem ad requiem paradisi perducere digneris. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum.
℟. Amen.
Posteà dicatur Antiphona. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, quod est benedictum ex hoc nunc & vsque in seculum. cum Psalm. CXII.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & vsque in seculum.
A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini.
Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria eius.
Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra?
Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.
Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.
Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.
Posteà repetatur Antiphona. Laudate pueri Dominum &c.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Benedic Domine pueris istis, & inuocetur super eos nomē Dei viui.
℟. Et benefacias eis in omni tempore Domine Deus noster.
℣. Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere eos.
℟. Talium est enim Regnum cœlorum.
℣. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.
℟. Quia Angeli eorū semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Respice quæsumus Domine puerorum præsentium deuotionem, vt in tua gratia, & misericordia proficiant, & crescant; & ad finē optatum feliciter perducantur. Per Christum Dominum nostrū. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Clementissime Domine, suscipere digneris famulorū, famularumq́. tuarum innocentiam: & parentum suorum fidem, & voces omniū, salutem hanc clamantium, infunde super eos spiritualium dona virtutum: vt nullus inimicus humani generis eos fraude decipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe fili Dei viui: qui cum Patre, & Spiritu sancto es Deus trinus & vnus; te mundi factorem, vitæ auctorem, & gratiæ largitorem humiliter deprecamur, vt tu, qui es terribilis, pius, & misericors,

ricors, laudabilis, innocens, & innocentiæ amator, humilis, & humilitatis assumptor, mansuetus, & mansuetudinis habitator: qui venientibus ad te paruulis manus tuæ benedictionis imponens, talium dixisti esse regnum cœlorum: benedic ✠ quæsumus & hos paruulos, qui hodie in Ecclesia, vt benedicantur, sunt præsentati: tu eis Domine da intellectum pietatis & augmentum, vt te sapiant, te diligant, te ament, te timeant, & mandata tua custodiant, & te concedente, vsque ad vltimam perueniant senectutem per te Saluator mundi Deus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Sacerdos finita oratione ponit manus super caput singulorum puerorum, dicens:

Complexans pueros Iesus, & imponens eis manus, benedicebat eis.

Et faciens signum crucis super eos, dicat:

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super vos, & custodiat, & dirigat vos, & vobiscum maneat semper. ℟. Amen.

Posteà aspergat eos aqua benedicta.

Benedictio puerorum, quando eis capilli primùm inciduntur, iuxta quorundam locorum morem.

In primis dicitur ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. Psalmus CXXXII.

Ecce quàm bonum & quàm iucundum: habitare fratres in vnum.

Sicut vnguentum in capite: quod descendit in barbam, barbā Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in monte Sion.

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: & vitam vsque in seculum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Posteà ponatur crux facta ex cera in capite eorum, & Presbyter dicit.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui venientibus ad te innocentibus sacratissimas manus tuas imposuisti, quæsumus benedic ✠ hunc famulum tuum, cuius capillos hodiè incidimus: da ei ætatem perfectam, vt te diligat, te sapiat, te auxiliante tua mereatur adimplere mandata. Qui viuis & regnas &c.

Qua oratione finita incidantur capilli, & dum inciduntur, Presbyter dicat hanc orationem.

Oremus. Oratio.

GRatias tibi agimus Domine Deus omnipotẽs, in cuius nomine famuli tui N. capillos incidimus, precamurq́. Maiestatem tuam, vt te auxiliante vsque ad summam senectutem perueniat, vitamq́. percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et cùm fuerint incisi capilli, dicat chorus Antiphonam.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Et repetitur Antiphona. Ecce sic benedicetur homo.

Deinde Presbyter dicit: Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui es caput nostrum, & corona omnium Sanctorum, respice quæsumus super infantiam famuli, qui in tuo nomine sua celebrat vota, vt capillis capitis sui tonsus, per huius benedictionis ✠ copiam, ad senilem venire mereatur ætatem, & congaudeat ad futuram gloriam, dum salutem consequetur æternam. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Postmodùm aspergatur aqua benedicta.

Ad induendum puerum, vel puellam habitum pro aliquo voto.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam, te vestimento carnis induere dignatus es: benedictione sancta tua benedic ✠ ista paruula vestimenta, quæ pro gratijs tibi exsoluendis, cum omni deuotione, sanctoq́. voto, ac veneratione beatissimæ Mariæ, infans iste, siue puella ista super se suscepturus vel suscéptura est; infunde in eum, vel in eam quæsumus tuam sanctam benedictionem ✠ vt cùm primùm induerit hoc religioni simile vestimentum, intercedente sancto N. descendat super eum, vel super eam gratia tua, & protegat illum, vel illam ab omni malo mentis & corporis. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus in secula seculorum. ℟. Amen.

Deinde vestimenta asperguntur aqua benedicta, & adolentur incenso: Et exuens eum, vel eam priores vestes dicat.

Eripiat

Eripiat Dominus de corde tuo ſeculi pompas: quibus abrenuntiaſti dum baptiſmum ſuſcepiſti. Pſalmus.

Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalua me. ℣. Gloria Patri. Et repetat. Eripiat Dominus &c.

Posteà induat eum cappa, & ſcapulari: & antequàm cingat, dicat Antiphonam. Immittat in te Dominus ſanctum Religionis amorem, ſanctoq. feruore ſuccendaris, & ardeas cœleſtium bonorum deſiderio. Pſal. CXII. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. ℣. Gloria Patri. Posteà cingat eum, dicendo Antiphonam. Præcingat te Dominus zona iuſtitiæ, vt immaculata conſerues omnia mandata ſua. Pſalm. CL. Laudate Dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Deinde dat ei candelam accenſam: & dicit.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Ieſu Chriſte lux vera de vero lumine, quæſumus clementiā tuam: vt per interceſſionem beatiſſimi N. mentem paruuli huius illumines: vt cùm ad annos diſcretionis peruenerit; ſancto tibi animo, corporeq. deſeruiat. Qui viuis & regnas.

Posteà benedicat puerum, offerendo eum ſuper altare, dicendo Antiphonam. Confirma Deus in puero ſiue in puella, quod in eo operari cœpiſti à templo ſancto tuo: deducat eum ſpiritus tuus bonus in terram rectam, & benedictio tua ſit ſuper eum, vel ſuper eam ſemper.

Deinde reddat parentibus, & conuerſus ad omnes circunſtantes dicat.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus ſanctus ✠. ℟. Amen.

Ad exuendum puerum, vel puellam poſt annum, vel tempus promiſſum, cùm portauerit habitum pro voto.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, à quo deſcendit omne bonum, & omne donum, tibi gratias agimus, & expleta vota reddimus; ſuſcipe vota noſtra cum actionibus gratiarum, & interce-

dente beata Maria semper virgine, sanctoq. N. huic puero vel puellæ de cætero præsta salutem mentis & corporis; vt te creatorem recta fide colat, in te redemptorem spem suam confirmet, teq. summum bonum super omnia diligat, atque sanctis mandatis tuis semper obediat. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde illum habitum exuendo, dicat Antiphonam. Reddite vota vestra Deo cum actionibus gratiarum. Psalm. Laudate Dominum omnes gentes. ℣. Gloria Patri. & repetitur Antiphona. Reddite vota vestra.

Deinde ponat habitum super altare, & dicat.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SVscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus, vota precesq. supplicum; & per intercessionem beatissimæ semper virginis Mariæ, sanctiq. N. præsta nobis ita beneficia tua cognoscere, vt in gratiarum semper actione maneamus. Per Christum Dominum nostrum.

Postea benedicat circumstantes, dicendo:

Benedicat vos omnipotens Deus Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus sanctus ✠. ℟. Amen.

Benedictio loci.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine Deus omnipotens locum istum, vt sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri & Filio & Spiritui sancto; & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super omnes habitantes in eo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio nouæ domus.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

TE Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & pro eius habitatoribus ac rebus, vt eam benedicere ✠ & sanctificare ✠ ac bonis omnibus ampliare digneris. Tribue eis Domine de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & de-

& desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere ✠ & sanctificare ✠ dignare hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Iacob: & intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitēt, eamq́. & eius habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.
Et aspergat eam aqua benedicta & incenset, vel saltem atrium superius, seu aulam.

Benedictio thalami seu Cameræ.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Benedic ✠ Domine thalamum hunc, seu cameram istam, vt omnes habitantes in eo in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna cœlorum perueniant. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.
Posteà aspergatur thalamus, siue camera aqua benedicta, & incensetur.

De benedictione domus ne comburatur ab igne.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Defende quæsumus Domine locum istum, vel domum istam à maioribus vsque ad minimos cum pecoribus & rebus suis ab igne, ab infirmitate, à tempestate, ab ira ventura, ab omnibus tribulationibus diaboli, & ab insidijs inimici, vt sis eius habitator & custos, & eam ab omni igne custodias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.
Aspergatur aqua benedicta.

De benedictione seu aspersione aquæ benedictæ per officinas Canonicæ, vel domus religiosæ, aut etiam priuatæ.

Cum clerici volunt aspergere aquam benedictam per officinas Canonicæ vel domus, vadat aliquis Sacerdos cum socio vel socijs, & aspergens aquam benedictam incipiat in Sacristia Psalm. cxxxi. Memento

Domine Dauid. suprà pag.351. Antiphona. Domum istam protege Domine, & Angeli tui sancti custodiant muros eius.

℣. Domine dilexi decorem domus tuæ.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Oremus. Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotum ministerio ad tibi seruiendum, & supplicandum vti dignaris; quæsumus immensam clementiam tuam, vt quicquid modò visitamus, visites, quicquid benedicimus ✝ benedicas ✝ sitq. ad nostræ humilitatis introitum Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum.

Posteà procedat ad dormitorium, & ibi dicat Psalmum cxx. Leuaui oculos. pag.349. Antiphona. Salua nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, vt vigilemus cum Christo, & requiescamus.

℣. In pace in idipsum. ℟. Dormiam & requiescam.

Oremus. Oratio, quæ legatur in genere suo, & numero congruenti.

BEnedic ✝ Domine hoc dormitorium famulorum tuorum, vel famularum tuarum, si domus est mulierum, qui non dormis neque dormitas custodiens Israel, & famulos tuos in hac domo quiescentes post laborem, custodi ab illusionibus phantasmaticis Satanæ, vt vigilantes in præceptis tuis meditentur, & dormientes te per soporem sentiant, & hîc & vbique defensionis tuæ muniantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

In infirmaria dicat Psalmum VI.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valdè velociter.

Gloria Patri.

Anti-

Antiphona. Aſpice Domine de ſede ſancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi & aperi oculos tuos, & vide tribulationem noſtram.

℣. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.

℟. Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Oremus. Oratio.

OMnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuã, vt ad introitum humilitatis noſtræ, hunc locum infirmariæ, & hunc famulum tuum vel famulos tuos in ea ægrotantem vel ægrotantes ſalutiferè viſitare digneris; & ſicut viſitaſti Domine Tobiam & ſocrum Petri, puerumq; Centurionis, ita & iſte vel iſti priſtina ſanitate animæ corporiſq; recepta, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat vel referant actionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

In refectorio dicat Pſalmum CXXVII. Beati omnes qui timent Dominum, pag. 351. Antiphona. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcas in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

℣. Edent pauperes & ſaturabuntur.

℟. Et laudabunt Dominum qui requirunt eum.

Oremus. Oratio.

OMnipotens & miſericors Deus, qui famulos tuos in hac domo alis refectione carnali, vt cibum vel potum te benedicente ✠ cum gratiarum actione percipiant: præſta quæſumus, vt hîc & in æternum per te ſalui eſſe mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

In coquina dicat Pſalmum XXII.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.

Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ: propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam: aduerſus eos qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.

Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudine dierum.

Antiphona. In loco paſcuæ, ibi me collocauit.

℣. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

℟. Qui habitare facis vnanimes in domo.

Oremus. Oratio.

DEus æterne, ante cuius conſpectum aſſiſtunt Angeli, & cuius nutu reguntur vniuerſa, qui etiam neceſſarijs humanæ fragilitatis, tua

pietate consulere non desinis; te humiliter imploramus, vt habitaculum istius officinæ illa benedictione ✠ perfundas, qua per manus Elisæi Prophetæ in olla eremitica gustus amarissimos dulcorasti, & semper hic, tuæ benedictionis copia redundante, laudes tibi referant serui tui, qui das escam omni carni, & imples omne animal benedictione ✠ Saluator noster. Qui viuis & regnas per omnia secula seculorum.
℟. Amen.

In cellario dicat Psalmum CXLIII.

BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.
Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, protector meus, & in ipso speraui: qui subdit populum meum sub me.
Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?
Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt.
Domine inclina cœlos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.
Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.
Emitte manum tuam de alto: eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.
Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorũ dextera iniquitatis.
Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallã tibi.
Qui das salutem Regibus: qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno, eripe me.
Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum dextera iniquitatis.
Quorum filij sicut nouellæ plantationes: in iuuentute sua.
Filiæ eorum compositæ, circumornatæ: vt similitudo templi.
Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud.
Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ.
Non est ruina maceriæ, neque transitus: neque clamor in plateis eorum.
Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius.
Antiphona. Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis, dicit Dominus: ideoq. exultate, & lætamini in Domino Deo vestro.
℣. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua.
℟. Et super opera manuum tuarum.

Oremus. Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui vbique præsens es, Maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt huic promptuario gratia tua adesse dignetur, quæ cuncta aduersa ab eo repellat, & abundantiam benedictionis ✠ tuæ largiter infundat. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

In claustro dicat Psalm. LXXXIII. Quàm dilecta tabernacula. pag. 580.

Antiphona. Congregauit nos in vnum Christi amor, timeamus & amemus Christum Deum: vbi charitas & amor ibi Deus.

℣. Ecce quam bonum, & quàm iucundũ. ℟. Habitare fratres in vnum.

Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos singulari prærogatiua gratiæ in hoc religionis claustro misericorditer congregasti; da nobis famulis tuis ita in eodem laudabiliter tibi seruire, & in fraternitatis amore, & sincera dilectione, ac mutua pace conuiuere; vt tandem ad illam patriam, in qua omnia secura, firma, tranquilla, & stabilia sunt, te largiente peruenire valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad portam principalem dicat Psalmum CXLVII.

Lauda Hierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortauit seras portarũ tuarũ: benedixit filijs tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius.

Qui dat niuem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellam: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?

Emittet verbũ suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis.

Gloria Patri. Antiphona. Confortauit Dominus seras portarum nostrarum, & benedixit nobis.

℣. Hæc est porta Domini. ℟. Et iusti intrabunt in eam.

Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe, qui in introitu portarum Hierusalem valuas sanctificasti, dum splendore gemmarum duodecim, totidem Apostolorum nomina præsignasti, & qui per organum propheticum prædixisti: Lauda Hierusalem Dominum: quia confortauit seras portarum tuarum, & benedixit filijs tuis in te: te quæsumus, vt ponas omnes fines domus istius pacem, vt velociter currens interiùs sermo tuus, adipe frumenti satiet eos: Spiritus sanctus defendat illos, vt nunquàm nocere eis præualeat inimicus, sed omnes habitantes interiùs voce, corde, & opere decantent, dicentes: Magnus Dominus Deus noster Iesus Christus, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Qui cum Deo Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

In illo tempore. Ingressus Iesus perambulabat Hiericho, pag. 584. *Lucæ 19.*

Antiphona. Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum, populus electus in hæreditatem sibi. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison Pater noster. Et ne nos inducas. Sed libera.

℣. Custodi nos Domine vt pupillam oculi.
℟. Sub vmbra alarum tu arum protege nos.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

DEus qui in omni loco dominationis tuæ dedicator semper assistis: exaudi nos quæsumus, vt inuiolabilis huius domus permaneat benedictio, & beneficia tui muneris vniuersitas, quæ supplicat mereatur.

Oratio.

VIsita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle; & Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Posteà addat orationes de beata Virgine, & alijs Sanctis ad libitum.

In reditu ad Ecclesiam dicere poterit Psalmum xc. Qui habitat in adiutorio Altissimi, pag. 315. & 581. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.

℣. Memor esto Congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio.
Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros in beneplacito tuo: vt in nomine Dei & Domini nostri Iesu Christi Filij tui dilectissimi mereamur semper bonis operibus abundare. Per eundem.

Benedictio religiosæ domus vel Collegij.

PEractis omnibus, vt suprà in ipsa benedictione nouæ domus, eodem die vel cùm primùm domum ad inhabitandum ingrediuntur, congregatis Clericis vel Religiosis in loco Capituli, Sacerdos incipit Antiphonam. Ecce quàm bonum & quàm iucundum est habitare fratres in vnum.

Deinde alternatim dicuntur Psal. LXXXIII.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum: vbi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te.

Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Prote-

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.
Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super millia.
Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.
Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.
Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum beatus homo qui sperat in te.
Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Et Psalmus xc.

Qui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.
Dicet Domino susceptor meus es tu:& refugium meum Deus meus sperabo in eum.
Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.
Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.
Scuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.
A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano.
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.
Veruntamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.
Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.
Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.
In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.
Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.
Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.
Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.
Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.
Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio & nunc & semper,& in secula seculorum. Amen.

Et Psalm. cxxxii. Ecce quàm bonum & quàm iucundum &c. suprà pag. 352. cum Gloria Patri. Et repetita Antiphona. Ecce quàm bonum &c. dicitur Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Me-

℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, & huius domus ædificatæ sis protector: nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat, sed virtute Spiritus sancti & operatione fiat tibi hic primum seruitium, & deuota libertas existat.

DEfende quæsumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis, istam ab omni aduersitate familiam; & da eis veram cum tua voluntate concordiam, ac vt in veritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

VIsita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: & Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super eam semper. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Posteà domum & omnes habitantes in ea benedicat, dicens:

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat semper. ℟. Amen.

Si in domo prædicta fuerit aliquod priuatum Oratorium, facta aspersione aquæ, vt suprà, dicitur Psal. CXXXIII. Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. pag. 352. cum Gloria Patri. in fine.

Deinde Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DEus sanctificationum auctor, effunde super hunc orationis locum gratiam tuam, vt ab omnibus hic nomen sanctum tuum inuocantibus, auxilium misericordiæ tuæ sentiatur.

DEus innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda seruorum: vt spiritus tui feruore concepto, & in fide inueniantur stabiles, & in opere efficaces. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Bene-

Benedictio domus à dæmone vexatæ.

℣. Adiutorium noſtrũ in nòmine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contuliſti, vt quicquid in tuo nomine dignè perfecteq. ab eis agitur, à te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiam tuam, vt quod modo viſitaturi ſumus viſites, & quicquid benedicturi benedicas ✠ & ad ea quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas, ſitq. ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum & Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipiat Pſalmos Graduales ſuprà pag. 349. & proſequatur quinque primos, aquam benedictam aſpergendo per loca domus. Quibus finitis dicat.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmum tuam Domine clementer ingredere, & in tuorum tibi corda fidelium perpetuam conſtrue manſionem, & præſta, vt in hac domo nulla malignorum ſpirituum dominetur nequitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde incipiat Pſal. CXXIV. Qui confidunt. cum alijs quatuor Gradualibus ſequentibus pag. 350. cum Gloria Patri. & vt prius, aſpergat aquam benedictam per domum. Quibus finitis dicat Kyrie eleiſon. & Pater noſter. vt ſuprà.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus aſſiſtis, totus operaris, adeſto ſupplicationibus noſtris, vt huius domus ædificatæ ſis protector; & nulla hic nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat, ſed virtute Spiritus ſancti & operatione fiat tibi hic primum ſeruitium, & deuota libertas exiſtat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtmodùm incipiat Pſal. CXXIX. De profundis. & proſequatur ipſum & alios Graduales ſequentes ſuprà pag. 351. Et interim aſpergat domum aqua benedicta. Quibus completis, dicat Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. vt ſuprà.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Do-

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ dedicator aſſiſtis, exaudi nos quæſumus vt inuiolabilis huius domus permaneat benedictio, ✠ & beneficia tui muneris vniuerſitas quæ ſupplicat mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſteà in principaliori loco domus legat ſequens Euangelium.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore. Ingreſſus Ieſus perambulabat Hiericho, & ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps Publicanorum, & ipſe diues, & quærebat Ieſum videre, quis eſſet; & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum: quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus, vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes: quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorũ, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eo quòd & ipſe filius ſit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.

Deinde benedicetur incenſum iſto modo.

Per interceſſionem beati Michaelis Archangeli ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium ſanctorum Angelorum, incenſum iſtud digneris Domine benedicere ✠ & in odorem ſuauitatis accipere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſteà Sacerdos ponat incenſum ſuper ignem in thuribulo, & incenſet domum, dicendo:

Incenſum à te benedictum, aſcendat ad te Domine.

℟. Et deſcendat ſuper nos miſericordia tua.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Te Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo, & pro habitatoribus eius vt eam benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris, vt ſint promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: tribue etiam illis de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ, vitæ ſubſidium, & deſideria eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas, & ad introitum noſtrum hanc domum benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris, ſicut benedicere dignatus es Abraham, Iſaac, & Iacob: vt intra parietes domus huius, & angulos eius inhabites. Per.

Oremus. Oratio.

VIsita quæsumus Domine habitationem istam,& omnes insidias inimici ab ea longè repelle, & Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant,& benedictio tua sit super eam semper. In nomine Patris ✝ & Filij ✝ & Spiritus sancti ✝. ℟. Amen.

Posteà domum, & omnes habitantes in ea benedicat, dicens:

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✝ & Filij ✝ & Spiritus sancti ✝ descendat super hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat semper. ℟. Amen.

Si in domo huiusmodi est Oratorium vel Cappella, poterit in ea, vel in alia decentiori parte de licentia Episcopi loci celebrari sancta Missa: plurimùm enim ad abigendos & fugandos malignos spiritus, valet sacrorũ mysteriorum celebratio, etiam auctore sancto Augustino, qui lib. xxij. de Ciuitate Dei cap. viij. scribit de domo Tribunitij Hesperij in quodam eius fundo in territorio Fussalensi posita, quam cùm is cum afflictione animalium & seruorum suorum, spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit, inquit, nostros, me absente, Presbyteros, vt aliquis illorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinùs miserante cessauit.

Benedictio loculi, vel sepulchri in Ecclesia, vel Cœmeterio.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

ROgamus te Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, vt digneris benedicere ✝ & sanctificare hoc sepulchrum & loculum in eo collocatum, vt sit remedium salutare in eo quiescenti,& redemptio animæ eius, atque tutela,& munimen contra sæua iacula inimici. Per.

Alia oratio.

SAnctificetur ✝ istud habitaculum Domine Deus per nostram supplicationem, & fugetur ab eo immundus spiritus per virtutem Domini nostri Iesu Christi, vt sit placida requies corporis, quod postmodùm in eo collocabitur, te protegente, ac conseruante maiestate tua Iesu Christe. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.

Alia oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris,& nihil de nostra conscientia præsumẽtibus ineffabili miseratione tua nobis succurre, vt quod non habet nostrorum fiducia meritorum, tuorum conferat largitas inuicta donorum. Per.

Bene-

Benedictio peregrinorum.

PEregrini ituri ad loca sancta, antequàm discedant (iuxta veteris Ecclesiæ institutum) deberent accipere dimissorias, seu commendaticias litteras à suo Ordinario: Quibus obtentis, & rebus suis dispositis, facta suorum peccatorum confessione, die statuto accedant ad Ecclesiam suæ Parochiæ, vbi in Missa, in qua dicitur oratio pro peregrinantibus, accipiunt sanctissimam Eucharistiam. Expleta Missa Sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes preces. Antiphona. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Psal. LXXXIII. vt sequitur. Cor meum & caro mea &c. Gloria Patri, in fine. & repetita Antiphona dicitur Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem.

℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus infinitæ misericordiæ & maiestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec interualla temporum ab his quos tueris abiungunt: adesto præsentibus famulis tuis in te vbique fidentibus, & per omnem per quam ituri sunt viam, dux eis, & comes esse digneris, nihil eis aduersitatis noceat, nihil difficultatis obsistat, cuncta eis salubria, cuncta prospera sint: vt sub ope dexteræ tuæ quicquid iusto expetierint desiderio, celeri consequantur effectu. Per Christum Dominum nostrum.

Oremus. Oratio.

PRotege Domine famulos tuos & sanctorum N. & N. (nominentur Sancti, ad quorum loca ituri sunt,) patrocinio confidentes perpetua defensione conserua.

PRotector seruorum tuorum Deus, qui Abraham famulum tuum de Vr Chaldæorum eductum in terra peregrinationis suæ, de omni angustia liberasti; hos quæsumus famulos tuos ad sanctorum N. & N. limina pergentes à periculis omnibus erue, & à peccatorum nexibus absolue, vt sancto Angelo tuo comite, ad quem pergunt locum peruenire, & inde redire incolumes valeant.

VOta famulorum tuorum quæsumus Domine benigno fauore prosequere: vt ope misericordiæ tuæ adiuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumes repræsentari mereantur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen. Et aspergens eos aqua benedicta, dimittat in pace.

Si ituri sunt ad Terram sanctam, omnia dicuntur vt suprà, sed loco Psalmi prædicti dicitur Psalmus CXXI. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Et omissa prima & secunda oratione, dicitur sequens.

Ora-

Oratio.

DEus, qui transtulisti Patres nostros per mare rubrum, famulis tuis ad loca sancta pergentibus, in quibus salutem nostram operatus es, benignus assistas; vt portum semper optabilem, cursumq́. tranquillum consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si qui magnum iter facturi benedictionem Sacerdotis velint accipere, omnia dicuntur, vt suprà, sed loco Psalmi prædicti dicatur Psal. xc. Qui habitat. & omissis orationibus prædictis, dicatur sequens oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; vt inter omnes vitæ huius varietates, tuo semper protegantur auxilio.

EXaudi Domine preces nostras, & iter famulorum tuorum propitius comitare; atque misericordiam tuam, sicut vbique es, ita vbique largire, quatenùs à cunctis aduersitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta. Quòd si vnus fuerit qui est peregrinaturus, omnia dicuntur in numero singulari.

Benedictio super sportas & baculos peregrinorum.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SIgnaculum Dei Patris ✠ omnipotentis veniat super hos baculos, & super has sportas, quibus homines accommodantur, & Spiritus sanctus regnet in eis, qui eas portant. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen. Sacerdos dicat.

Signaculum Iesu ✠ Christi Nazareni, Dei Patris ✠ & Spiritus sancti ✠ maneat in eis in secula seculorum.

Quando dat ei sportam, dicat:

IN nomine Domini nostri Iesu Christi accipe hanc sportam habitum peregrinationis tuæ, vt benè castigatus, & benè saluus, atque emundatus, peruenire merearis ad limina sanctorum Apostolorũ Petri & Pauli vel beati Iacobi, & aliorum Sanctorum, quò pergere cupis: & peracto itinere tuo ad nos cum gaudio reuertaris. Per Christum.

Quando dat ei baculum, dicat:

IN nomine Domini nostri Iesu Christi accipe hunc baculum ad sustentationem itineris & laboris tui in viam peregrinationis tuæ, & vincere valeas omnes insidias inimici, & peruenire merearis ad limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, vel beati Iacobi, & aliorum Sanctorum, quò pergere cupis, & peracto obedientiæ cursu ad nos cum gaudio reuertaris. Per Dominum nostrum.

Bene-

Benedictio peræ & baculi peregrinantium.

DOmine Iesu Christe, qui tua ineffabili miseratione, Patris iussione, Spiritus sancti operatione descendere de cœlo, ouemq. perditam diabolica seductione voluisti quærere, atque proprijs humeris ad cœlestis patriæ gregem referre; quiq. præcepisti filijs matris Ecclesiæ orãdo petere, benè viuendo quærere, ac pulsando perseuerare, vt citiùs inuenire valeant salutaris præmia vitæ; te humiliter inuocamus, quatenus sanctificare ✠ & benedicere ✠ digneris has peras & hos baculos, vt quicunque ijs pro tui nominis amore vsi fuerint, & ad instar humilis armaturæ lateri suo applicare, atque collo suspendere, siue manibus suis gestare, sicq. peregrinando suffragia Sanctorum humili comitante deuotione studuerint quærere, dexteræ tuæ protecti munimine, peruenire mereantur ad gaudia mansionis æternæ. Qui viuis & regnas.

Hic tradatur pera, & dicatur.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi accipe hanc peram signum peregrinationis tuæ, vt bene castigatus & saluus & benè emẽdatus peruenire merearis ad limina Sanctorum, & peracto itinere tuo sospes ad propria reuerti. Amen.

Hic tradatur baculus, & dicatur.

ACcipe baculum hunc in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, sustentationem itineris tui & laboris ac peregrinationis tuæ, vt per intercessionem Sanctorum, quorum suffragia quærere cupis, peracto itinere tuo cum Dei adiutorio & benedictione ad propria incolumis redire merearis.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui est via, veritas, & vita, iter vestrum in beneplacito suo disponat, Angelum suum Raphaelem custodem in vestra peregrinatione adhibeat, qui ad loca desiderata cum pace vos eundo perducat, & iterum cum salute ad nos reducat. Sit interuentrix vestra beata Dei genitrix Virgo Maria cum vniuersis Angelis, & Archangelis, Patriarchis, & Prophetis: sint intercessores vestri sancti Apostoli, Martyres & Confessores, Virgines, atque omnes Sancti illi, quorum quæritis suffragia, cum omnibus Sanctis, qui iuxta desideria prosperitatem, & pacem, ac remissionem peccatorum vobis præstent, & vitam æternam acquirant. Per eundem.

Benedictio super peregrinos exeuntes.

Sacerdos superpelliceo & stola indutus, dicat:

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

Psal. LXIX. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina &c. dicatur totus cum Gloria Patri.

Psal. XXII. Dominus regit me, & nihil mihi deerit &c.

Psal. LXXXIX. Domine refugium factus es nobis: in generatione &c.

Psal.

Psal. xc. Qui habitat in adiutorio Altissimi, &c. pag. 315.
Antiphona. In viam pacis & salutis dirige eos Domine.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Perfice gressus meos in semitis tuis. ℟. Vt nō moueantur vestigia mea.
℣. Mirifica misericordias tuas. ℟. Qui saluos facis sperantes in te.
℣. Conuertere Dñe, vsquequo. ℟. Et deprecabilis esto super seruos tuos.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. O Domine saluos eos fac. ℟. O Domine benè prosperare: benedictus qui venturus es in nomine Domini.
℣. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua. ℟. Et in præceptis suis, & faciat pacem in diebus nostris.
℣. Exaudiat Dominus orationes vestras. ℟. Et reconcilietur vobis.
℣. Nec vos deserat in tempore malo. ℟. Dominus Deus noster.
℣. Exurge Domine adiuua nos. ℟. Et redime nos propter nomen tuum.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio super baculos & capsellas.

DOmine Iesu Christe mundi conditor, & redemptor, qui per os beati Pauli Apostoli tui innotuisti non habere nos hic manentem ciuitatem, sed futuram hic debere inquirere semper; quiq. beatis Apostolis præcepisti, vt euntes ad prædicandum verbum Dei virgas tantùm sumerent, te suppliciter deprecamur, vt digneris has scarsellas siue peras pro tui nominis amore ad instar humilis armaturæ lateri applicandas, & hos sustentationis baculos benedicere ✠ quatenus portantes eos in peregrinationis signum, & suorum corporum sustentationem, cœlestis gratiæ plenitudinem in eis, & munimen valeant tuæ benedictionis percipere: quemadmodum virgam Aaron ad rebellium Iudæorum perfidiam repellendam benedixisti ✠ ita & hos famulos tuos per hæc insignia, quæ ad honorem & reuerentiam Apostolorum tuorum Petri & Pauli, vel sancti Iacobi, vel sancti vel sanctæ N. assumere cupiunt de manibus nostris, & ad eorum limina veneranda portare, benedicas ✠ & ab omnibus peccatis absoluas, vt in die iudicij in parte mereantur dextera collocari. Qui viuis & regnas.

Benedictio super baculos & capsellas.

SIgnaculum Dei Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat cœlitus super hos baculos & has peras, vt qui eas portauerint, ab omniū inimicorum insidijs sint defensi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos baculos & peras aspergat aqua benedicta, & eas peregrinis tradens, dicat:

Accipite hos baculos & has peras, & pergite ad limina beatorũ Apostolorum Petri & Pauli, vel S. Mariæ de Laureto, vel ad limina S. Iacobi in Compostella, vel S. Antonij de Vienna, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen. Simili modo dicatur de alijs locis, ad quæ peregrini profecturi sunt, vt per eas mereamini in hoc seculo remissionem omnium peccatorum accipere, & in futuro consortium beatorum, atque ad limina Sanctorum, quò pergere cupitis, feliciter peruenire, & peracto itinere ad nos incolumes remeare. Posteà dicant Antiphonam. Euntes ibant & flebant, mittẽtes semina sua. Psal. cxxv. In conuertendo. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Antiphona reiteratur. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟ A facie inimici.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos. ℟. Quemadmodum sperauimus in te.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus infinitæ misericordiæ & maiestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec interualla temporum ab his, quos tueris, abiungunt: adesto præsentibus famulis tuis in te vbique fidentibus, & per omnem per quam ituri sunt viam, dux eis & comes esse digneris: nihil eis aduersitatis noceat, nihil difficultatis obsistat, cuncta eis salubria, cuncta prospera sint; vt sub ope dexteræ tuæ quicquid iusto expetierint desiderio, celeri consequantur effectu. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, humani generis reformator & auctor, qui Abrahæ puero tuo, vt exiret de terra natiuitatis suæ, & iret in terram promissionis, præcepisti; necnon & populum Israeliticum in desertum ad te adorandum multis prodigijs venire fecisti: hos quæsumus peregrinos ad beatorum Apostolorum Petri & Pauli, vel N. vt suprà, limina te adorare pergentes, à periculis omnibus erue, & à peccatorum nexibus absolue. Et tu qui es via vera in te confidentibus, eorum iter benè dispone, vt inter omnes huius viæ perturbationes, tuo protegantur auxilio: mitte eis Domine Angelum tuum, quem Tobiæ famulo tuo comitem dedisti; vt vbicunque manserint sit illis defensor contra insidias omnium inimicorum visibilium, & inuisibilium, quatenus læti, & incolumes ad nos redire valeant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat eos Sacerdos aqua benedicta, dicens:

Per aquæ aspersionem, det vobis omnipotens Deus ad eundum & redeundum suam gratiam & benedictionem. Amen.

Et

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super vos & maneat semper. Amen.

Sacerdos semper dare debet licentiam peregrinantibus, vt cuicunque Sacerdoti, & vbique possint confiteri peccata sua.

Ordo benedictionis ad peregrinos nauigare volentes ad Terram sanctam.

Sacerdos dicat Versus:

Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.

Psalm. LXIIII. Te decet hymnus &c. suprà pag. 425.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluos fac fideles tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non nocebit eis.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus qui transtulisti patres nostros per mare rubrum ad laudem tui nominis decantandam: supplices te deprecamur Domine, vt famulis tuis, qui ad visitanda loca sancta, in quibus vnigenitus Filius tuus salutem nostram operari dignatus est proficiscuntur, depulsis cunctis aduersitatibus portum semper optabilem, cursumq. tranquillum largiaris. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Oremus. Oratio.

PRopitiare quæsumus Domine supplicationibus nostris, & mitte Angelum tuum de summitate cœlorum, qui custodiat famulos tuos nauigantes in profundo maris: perduc eos ad loca dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi pretiosissimo sanguine consecrata, & visitatis eisdem cum salute mentis & corporis ad propria eos perducere cum lætitia, gaudio & profectu digneris. Per eundem Christum.

Deinde benedicantur signacula crucis chlamydibus peregrinantium affigenda. Antiphona. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi: quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ quæsumus Domine hæc signacula sanctæ Crucis, & præsta per inuocationem sanctissimi nominis tui, vt qui ea susceperint vel gestauerint, corporis & animæ salutem percipiant. Per Christum.

Tunc Presbyter det eis signacula sanctæ Crucis, sic dicens:

Accipe signum crucis Christi, tam in corde quàm in corpore, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠, vt sis defensus ab omnibus insidijs inimicorum visibilium, & inuisibilium. Per Christum.

Tunc dicatur hæc Antiphona. O crux gloriosa, ô crux adoranda, ô lignum pretiosum & admirabile signum, per quod diabolus est victus, & mundus Christi sanguine redemptus.

℣. Omnis terra adoret, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nomini tuo Domine. Oremus. Oratio.

ADesto familiæ tuæ quæsumus omnipotens Deus, vt in aduersis & prosperis preces eorum exaudias, & insidias omnium aduersariorum eorum per sanctæ crucis auxilium digneris conterere; vt portum salutis & tranquillitatis valeant apprehendere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum &c.

Alia benedictio super crucem eius, qui iturus est in Terram sanctam, vel aliam iuxta Domini Papæ præceptum.

Psalm. Qui habitat in adiutorio Altissimi. Gloria Patri. supra pag. 315.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

DEus inuictæ potentiæ, maiestatis immensæ atque peregrinationum totius consolationis auxilium, qui famulis tuis arma victricia tribuis: quæsumus has cruces benedicere ✠ digneris, vt venerandæ crucis vexillum sit eis robur inuictissimum contra iniqui tentamenta nequissima, sit eis in via defensio; sit in domo protectio, & vbique præsidium. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ordo benedictionis peregrinorum domum redeuntium.

PEregrini stent ante fores Ecclesiæ, & Sacerdos indutus superpelliceo & stola dicat:

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
Et deinde Sacerdos cum clericis cantet, vel legat Antiphonam.
Auxilium meũ à Domino. Psal. cxx. Leuaui oculos meos &c. supra pag. 349. Antiphona. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Psal. cxxxii. Ecce quàm bonum. supra pag. 352. Antiphona. Benefac Domine bonis & rectis corde. Psalm. cxxiiii. Qui confidunt in Domino &c.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Benedicti qui veniunt in nomine Domini.
℟. Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram.
℣. Respice Domine in seruos tuos, & in opera tua.
℟. Et dirige filios eorum.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus, vt his famulis tuis, quos incolumes de sancto itinere venire fecisti, quicquid per carnis fragilitatem, siue per visum vel auditum impudicum, aut per colloquia otiosa, siue alijs quibuscunque modis contra tuam iustitiam commiserunt, tu sanctissime Pater misericorditer indulgeas, & dimittas eis, & illæsos ab omni impugnatione diabolica custodias, & tuis semper deuotè inhærere mandatis concedas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DA Domine, quæsumus, vt fideles tui, quos post longas peregrinationes, & moras itineris, suæ patriæ reddidisti incolumes, in tua voluntate permaneant, & nihil vltra hostilitatis metuant, sed te protegente secura mente tibi deseruiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus qui iustificas impium, & non vis mortem peccatoris, maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt hos famulos tuos de tua misericordia confidentes, cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserues, vt tibi iugiter famulentur, & nullis tentationibus à te separentur. Per Dominum &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Benedicat vos omnipotens Deus Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus sanctus ✠. ℟. Amen.

Tunc peregrini Ecclesiam ingrediantur, & deuotione sua peracta, domum cum Dei benedictione reuertantur.

De benedictione esculentorum præsertim in Pascha.


CVm ex antiqua Ecclesiæ consuetudine in die sancto Paschæ nihil, quod non sit à Sacerdote benedictum, fideles comedere deberent, in diuersis regionibus pro more receptum est, vt in magno aliquo vase omnia fercula, vel esculenta, quæ illo die comedere, vel gustare velint, ad Ecclesiam deferant, in cuius atrio vel vestibulo à Sacerdote, cum cruce, & aqua benedicta procedente, benedicantur. Ideò variæ benedictiones pro Ecclesiarum & locorum diuersitate à scriptoribus positæ sunt, & ne aliquas omittendo damnare vel reijcere videamur, etiam plures interdum ponimus. Puta in benedictione agni Paschalis variæ precationes, & benedicendi formulæ traditæ sunt, & diuersæ in sacris Codicibus referuntur. Nam & vna est, quæ infrà primo loco ex Ordine Romano impresso & M.S. ponitur. Secunda, qua & agni & aliæ carnes benedicuntur, vt ponitur in eodem Ordine Romano, Pontificalibus, & Missalibus vetustis. Et demum alia est, quæ vulgò ab omnibus traditur, vt inferiùs notatur. Quare si plures super eadem re benedictiones quandoque inferiùs referuntur, nemo mirari debet.

Benedictio Agni in Pascha.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Et ita dicitur ante omnes alias benedictiones. Oratio.

POst celebratam Dominicæ sancti Paschæ solemnitatem, postq. etiam transactos ieiuniorum dies, iam animabus spiritualibus dapibus refectis, de mensa tuæ maiestatis offerimus famuli tui pro huius fragilitate corpusculi aliquantulùm reparandi, hanc vsui nostro concessam creaturam agni, poscentes, vt eum ore proprio nobis signantibus benedicas ✠ ac dextera tua sanctifices, & vniuersis ex eo sumentibus ministrata munuscula grata effici præstes, atque his cum gratiarum actione perceptis, te Deum, qui es cibus vitæ, & animæ nostræ, magis, & inhianter desideremus, & indefessè fruamur. Per.

Benedictio Agni, & aliarum carnium.

DEus vniuersæ carnis conditor, qui Noe & filijs suis de mundis & immundis animalibus præcepta dedisti; quiq. sicut olera herbarum humano generi quadrupedia munda edere permisisti; quiq. Agnum in Aegypto Moysi & populo tuo in vigilia Paschæ comedere præcepisti in figura Agni Domini nostri Iesu Christi, cuius sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti, & Angelo in nocte illa omne primogenitum in Aegypto percutere præcepisti, seruans tibi populum tuum agni sanguine prænotatum: dignare Domine Deus omnipotẽs benedicere ✠ & sanctificare ✠ has ouium, & agnorum, siue aliorum animalium carnes, vt quicunque ex eis de famulis tuis fidelibus comederint, omni benedictione cœlesti & gratia saturati repleantur in bonis. Per eundem Dominum.

Alia oratio.

DEus, qui per famulum tuum Moysen in liberatione populi tui de Aegypto agnum occidi iussisti, in similitudinem Domini nostri Iesu Christi, & vtrosque postes domorum de sanguine eiusdem agni perungi præcepisti: ita benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus per resurrectionem eiusdem Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Et mox aspergit aqua benedicta.

Si sequuntur vel continuantur aliorum vescibilium benedictiones, omissis ℣. Adiutorium nostrum &c. ℣. Domine exaudi &c. & ℣. Dominus vobiscum. dicitur Oremus tantùm.

Bene-

Benedictio lactis & mellis in Pascha.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine has creaturas lactis & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, qui est spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle: tu enim Domine promisisti Patribus nostris Abrahæ, Isaac & Iacob, dicens: Introducam vos in terram repromissionis, terram fluentem lac & mel. Coniunge Domine famulos tuos spiritu charitatis & pacis, sicut coniunctum est lac & mel in Christo Iesu Domino nostro. Qui tecum viuit. ℟. Amen.

Et aspergat ea aqua benedicta.

Benedictio panis in die sancto Paschæ.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine creaturam istam panis: sicut benedixisti quinque panes in deserto: vt omnes deuotè gustantes ex eo, tàm corporis quàm animæ percipiant sanitatem. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

Alia benedictio panis.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe panis Angelorum, panis viuus, & æternæ vitæ, benedicere ✠ dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: vt omnes ex eo dignè gustantes, inde corporis & animæ desiderabilem percipiant sanitatem. Qui viuis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.

Aspergàtur àqua benedicta.

Alia benedictio.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus. Oratio.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere ✠ digneris huic panem tua sancta spirituali benedictione, vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & contra vniuersas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum panem vitæ, qui de cœlo descendit, & dat vitam & salutem mundo, & tecum viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen. Et aspergat aqua benedicta.

Alia benedictio panis noui.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, vt sit donum eiusdem in annuum alimentum, gustantesq. ex eo accipiant tam corporis, quàm animæ salutem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergit aqua benedicta.

Alia benedictio panis pro infirmis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus. Oratio.

DOmine Deus omnipotens, descendat benedictio Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ super hanc creaturam panis, vt quicunque ex ea sumpserit, accipiat sanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam salutis, integritatem charitatis, consolationem spei, roborationem fidei, virtutem constantiæ, & visitationem Spiritus sancti. Per eundem in vnitate eiusdem. ℟. Amen.

Et aspergit aqua benedicta.

Benedictio ouorum in Pascha, si fiat immediatè post benedictionem Agni, dicitur: O remus, & oratio sequens. Si separatim fiat, dicitur.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O re-

Oremus. Oratio.

SVbueniat quæſumus Domine tuæ benedictionis ✠ gratia huic ouorum creaturæ, vt cibus ſalubris fiat fidelibus tuis in tuarum gratiarum actione ſumentibus, ob reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui tecum viuit & regnat in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Et aſpergantur aqua benedicta, vel dicatur oratio ad quodcunque comeſtibile inferiùs poſita.

Benedictio caſei & ouorum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

CReator & gubernator humani generis omnipotens Deus, qui hanc creaturam caſei & ouorum ad vſum refectionis tuis famulis conceſſiſti, te ſupplices petimus, vt tuam ſuper illa benedictionem ✠ largitor infundas, vt omnes ex ijs famuli tui comedentes, cœleſtibus benedictionibus repleantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et poſteà aſpergantur aqua benedicta.

Alia benedictio.

DEus creator & conſeruator generis humani, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis: tu Domine effunde benedictionem ✠ tuam ſuper hanc creaturam caſei & ouorum, vt armati cœleſti defenſione quicunque ex eis guſtauerint, ſibi proficiat ad æternam ſalutem. Per Dominum. Poſteà aſpergantur aqua benedicta.

Alia benedictio ouorum, caſei, carnium, & aliorum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine creaturam iſtam ouorum, caſei, & carnium, & aliorum, quæ ad humanum vſum pertinent, vt ſit remedium ſalutare generi humano, & præſta per inuocationem ſancti nominis tui, vt quicunque ex eis ſumpſerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergantur aqua benedicta.

Alia benedictio casei, vel casei & butyri,

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DIgnare quæsumus omnipotens Deus sanctificare ✠ hanc creaturam casei vel butyri, quam ex adipe animalium producere dignatus es, & concede propitius, vt quicunque ex populis tuis fidelibus ex eis comederint, vel gustauerint, omni benedictione cœlesti, & gratia saturati repleantur in bonis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.
Et aspergat aqua benedicta.

Benedictio lardi.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui necessitatem humani generis clementer præuidens, adminicula temporalia contulisti, pietatem tuam humiliter imploramus, vt benedicere ✠ digneris hoc lardum famulorum famularumq. tuarum; vt quod hîc tua misericordia piè nobis contulit, nostro demerito non pereat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Et aspergat aqua benedicta.

Benedictio carnium.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus vniuersæ carnis conditor, qui Noe & filijs suis de mundis & immundis animalibus præcepta dedisti, quiq. fidelibus tuis, quos tu sanctificasti, omnia munda esse voluisti: benedicere ✠ & sanctificare ✠ dignare has animalium carnes in escam generi humano procreatas, vt omnes ex eis sumentes, corporis & animæ sanitatem se percepisse lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.
Et aspergat aqua benedicta.

Benedictio carnium, siue auium, seu aliorum animalium.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O re-

Oremus. Oratio.

DIgnare Domine Deus omnipotens benedicere ✠ & sanctificare ✠ has auium, seu agnorum, seu hœdorum, seu boum, vel vitulorum seu N. & N. carnes, vt quicunque ex tuis fidelibus ex eis comederint, omni benedictione cœlesti, & tua repleti perenni gratia satientur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat illas aqua benedicta.

Benedictio communis ad omnia vescibilia, seu ad quodcunque comestibile.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine creaturam istam N. vel N. vt sit remedium salutare generi humano, & præsta per inuocationem tui sancti nominis, vt quicunque ex ea sumpserint, vel gustauerint, corporis sanitatem & animæ tutelã accipiant. Per Christum Dominũ nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

De benedictione muneris, quod offertur in Ecclesia.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, cuius verbo & potentia facta sunt omnia: cuius dono percipimus, quæ ad vitæ remedium possidemus: te supplices obnixis precibus rogamus, vt de sede maiestatis tuæ huic oblationi fidelium sanctificator accedas: suscipe de manu famulorum tuorum munus oblatum, quod à tua clementia benedictum in vsus huius sanctuarij maneat consecratum. Sint hæc in conspectu tuo libenter accepta, sicut quondam Abel alumni tui, vel Melchisedech tibi munera placuerunt oblata. Et quia ad honorem tui nominis Ecclesiam tuam summis nituntur decorare obsequijs, tu eis Domine magna pro paruis compensa, & deuotionem eorum accipias, peccata dimittas, fide eos repleas, indulgentia foueas, misericordia protegas, aduersa destruas, prospera concedas, habeant in hoc seculo actionis bonæ documentum, charitatis studium, sancti amoris affectum, & in futuro cum sanctis Angelis adipiscantur perpetuum regnum. Per Christum Dominum nostrum.

Postea aspergatur aqua benedicta.

Alia ſolennis benedictio panis, qui diſtribuitur in Eccleſia diebus Dominicis, vel die Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes.

IN diebus Dominicis, vel Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, panis populo diſtribuendus benedicitur hoc modo.

Ante Miſſam ordinatur proceſſio cum cruce, quæ defertur per Subdiaconum, & præcedentibus Acoluthis cum cereis, & luminaribus accenſis, cum thuribulo & igne, & nauicula incenſi cum cochleari, & vaſe aquæ benedictæ cum aſperſorio, Pontifex vel Sacerdos indutus amictu, alba, ſtola, & alijs paramentis, non tamen planeta, ſed pluuiali albi coloris, mitra ſimplici & baculo paſtorali, Diaconus & Subdiaconus cum dalmatica & tunicella eiuſdem coloris, alij verò miniſtri & clerici cum ſuperpelliceis veniunt ſolenniter cantando quod conuenire videbitur, & ad locum vbi totus panis benedicendus eſt collectus; & ibi Diaconus petita benedictione cantat ſequens Euãgelium ſecundũ Ioannem.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine. & incenſat librum de more.

Ioan. 6. a IN illo tempore, abijt Ieſus trans mare Galilææ quod eſt Tiberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Ieſus & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum. Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum, vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis eius Andreas, frater Simonis Petri. Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergo Ieſus. Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia. Accepit ergo Ieſus; & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmẽtorum ex quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant. Illi ergo homines cùm vidiſſent, quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. Ieſus ergo cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Quo finito, Pontifex ſeu Sacerdos inchoat, & ſchola proſequitur Antiphonam.

De quinque panibus & duobus piscibus satiauit Dominus quinque millia hominum. Qua dicta dicit:

℣. Dispersit dedit pauperibus. ℟. Iustitia eius manet in seculum seculi.
℣. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. ℟. In die mala liberabit eum Dominus.
℣. Nunquid panem poterit dare? ℟. Aut parare mensam in deserto?
℣. Pluit illis manna ad manducandum. ℟. Et panem cœli dedit eis.
℣. Cibauit eos ex adipe frumenti. ℟. Et de petra melle saturauit eos.
℣. Manducauerunt & saturati sunt. ℟. Et desiderium eorum attulit eis.
℣. Panem Angelorum manducauit homo. ℟. Misit eis cibaria in abundantia.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe panis Angelorum, panis viuus & æternæ vitæ, benedicere ✝ dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto, vt omnes ex eo dignè gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatē. Qui viuis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere ✝ dignare hunc panem tua sancta benedictione, vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & vniuersas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum panem vitæ, qui de cœlo descendit, & dat vitam & salutem mundo, & tecum cum Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex seu Sacerdos, Diacono ministrante, aspergit panes aqua benedicta, & incensat.

Posteà verò sedens distribuit panes clero & populo, incipiens à maioribus vsque ad minores ordinatim, & cum eadem processione reuertitur ad chorum seu ad altare, & incipitur Missa.

Benedictio ponderis.

CVm aliqui pia deuotione vel voto infirmos liberos suos, vel seipsos lance vel statera in Ecclesia ponderare pollicentur, aut offerunt: & tantum auri vel argenti & monetæ, vel etiam ceræ, olei, vini, aut aliarum frugum seu rerum obligant dare, quantum illorum vel suum corpus ponderare dignoscitur. Tunc quidem filius seu filia, vel alius qui ponderandus est, collocatur in statera, vel aliqua lance & alio loco, & facto eius pondere, fit pondus rei oblatæ vel promissæ in aliquo vase, canistro, vel sacco: vel alio modo in duplici lance vel statera, & in vna lance ponitur persona, & in altera res, quæ offertur eodem tempore, & Sacerdos dicit:

℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

Anti-

Antiphona. Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Psalmus LXXV.

NOtus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius.
Et factus est in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.
Ibi confregit potentias arcuum: scutum, gladium, & bellum.
Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.
Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.
Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt: qui ascenderunt equos.
Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.
De cœlo auditum fecisti iudicium: terra tremuit & quieuit.
Cùm exurgeret in iudicium Deus: vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.
Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.
Vouete & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius affertis munera.
Terribili, & ei qui aufert spiritum Principum: terribili apud Reges terræ.
Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio & nunc & semper: & in secula seculorũ. Amen.

Repetatur Antiphona. Vouete, Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster,

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluum fac seruum tuum vel ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxiliũ de sancto. ℟. Et de Sion tuere eũ, vel eam.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Et aspergens personam aqua benedicta, dicit:

Oremus. Oratio.

TE Domine sancte Pater, omnipotens, æterne Deus humilibus precibus deposcimus, defende famulum tuum, vel famulam tuam N. ab omni infirmitate & dolore; & ei dona tuæ gratiæ largiri digneris. O pijssime Deus libera eum, vel eam ab omni dolore, & ab omni tentatione diabolica vel infirmitate: saluare eum, vel eam digneris per aspersionem huius aquæ, & per inuocationem sancti tui nominis, Patris & Filij & Spiritus sancti, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, cui redditur votum in Hierusalem per merita & intercessionem beati N. exaudi preces famuli tui, vel famulæ tuæ N. memor esto sacrificij eius, pinguefiant illius holocausta: tribue ei quæsumus diuitias gratiæ tuæ: comple in bonis desiderium

rium illius: corona eum, vel eam miseratione & misericordia, tibiq. Domino pia deuotione famuletur, & ignosce ei facinora, quæq. negligenter commisit paterna correctione castiga. Et benedictio Dei Patris omnipotentis & Filij & Spiritus sancti descendat super famulum tuum, vel famulam tuam. ℟. Amen.

De benedictione panis, vini, fructuum & seminum in festo sancti Blasij Episcopi & martyris contra morbum gutturis, seu anginæ.

Benedictio panis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Ora pro nobis beate Blasi. ℟. Vt digni efficiamur &c.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SAluator mundi Deus Domine Iesu Christe, qui hodiernam diem beatissimi Blasij martyrio consecrasti, & diuersas creaturas ad salutem hominum creasti; qui ex quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum satiasti, ac populum Iudaicum in deserto miraculosè pauisti: ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus & petimus, vt hos panes, quos plebs fidelis tibi deuotè hodie ad sanctificandum attulit, tua pietate benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris, vt qui ex eis comederint, vel gustauerint ab omni gutturis plaga, & totius corporis infirmitate, meritis & intercessione eiusdem beati Blasij martyris tui, plenam recipiant sanitatem, & seruos tuos ab omni corporis & animæ ægritudine sanos conseruet. Qui viuis & regnas.

Posteà aspergantur aqua benedicta.

Alia benedictio panis in eodem festo.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens & mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diuersitates solo verbo creasti, & ad hominum reformationem illud idem Verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti: qui magnus es & immensus, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia: pro cuius fidei confessione gloriosus martyr & Pontifex Blasius diuersorum tormentorum genera non pauescens, martyrij palmam feliciter est adeptus, quiq. eidem inter cæteras gratias hanc prærogatiuam contulisti,

vt

vt quoscunque gutturis morbos tua virtute curaret: maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt non inspectu nostri reatus, sed eius placatus meritis & precibus, hanc creaturam panis benedicere ✠ & sanctificare ✠ tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo: vt omnes, qui ex eo bona fide gustauerint, à quocunque gutturis morbo grauatos se senserint, ipsius passione & meritis liberentur, & in Ecclesia sancta tua sani, & hilares tibi gratiarum referant actiones, & laudent nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in secula seculorum. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur panes aqua benedicta.

Eodem die benedictio vini.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe, omnipotens æterne Deus, qui vinum, quod lætificat cor hominis, in sacrificio in die cœnæ offerri præcepisti, & in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti: tu qui es vitis vera, intercessione beati Blasij martyris tui multiplica super nos seruos tuos pietatis tuæ misericordiam, quemadmodum fecisti cum patribus nostris in tua ineffabili misericordia sperantibus pietatem: benedicere ✠ & sanctificare ✠ tua clementia digneris hanc creaturam vini, quam ad seruorum tuorum subsidium tribuisti: quatenus vbicunque fuerit fusum, vel à quibuslibet potatum, diuinæ benedictionis ✠ tuæ repleantur dulcedine cum gratiarum actione, & in eorum visceribus sanctificetur per te Saluator mundi. Qui viuis & regnas.

Aspergatur aqua benedicta.

Eodem die benedictio fructuum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe Deus de Deo, qui famulum tuum beatum Blasium hodierna die martyrio consecrasti, benedicere ✠ & sanctificare ✠ tua pietate digneris hos fructus arborum, ficus, nuces, auellanas, vuas, & alia quæ indigni detulimus, per tui sancti nominis inuocationem, & per intercessionem gloriosissimæ Virginis Mariæ, atque eiusdē gloriosi martyris tui atque Pontificis Blasij benedicere ✠ & ad profectum

fectum præsentis familiæ tuæ atque omnium fidelium præsentium, & absentium prouenire cōcede, vt in quocunque loco deprecati fuerint, salui, & maximè à dolore gutturis efficiantur: & omnes iniquitates siue illusiones ab eorum habitaculis abscedant, & quicunque ex eis tenuerint, & gustauerint, tua gratia, & benedictione repleātur. Qui viuis.
Aspergantur aqua benedicta.

Eodem die benedictio seminum.

℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

CReator omnium Deus, qui semina subtus terram posita fructificare & multiplicare facis, & in vsus nostros misericorditer concedis, intercedente beato Blasio martyre tuo supplicationes nostras placatus intende, vt hæc seminum genera benedicere ✠ & sanctificare ✠ tua benignitate digneris, vt etiam iumenta, quæ ex eis comederint vel gustauerint, à quacunque detineantur infirmitate, plenam recipiant curationem. Per Dominum nostrum Iesum Christum.
Aspergantur aqua benedicta.

Alia benedictio in eodem festo.

℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine hos panes, & vinum, & semina quorumlibet generum, ac fructus pomorum, quos tu Domine rore cœli, & abundantia pluuiarum ac temporum serenitate, ac tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es Saluator mundi. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas.
Si verò panis & huiusmodi res benedicuntur in festo sancti Nicolai Pontificis, vel sanctæ Agathæ virginis, vel alicuius sancti vel sanctæ, dicuntur orationes de eis.

Benedictio nouæ areæ.

PRimò Sacerdos aspergit totam aream aqua benedicta, dicens Antiphonam. Asperges me Domine hyssopo & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.
Deinde dicat Psal. L. Miserere mei Deus &c. suprà pag. 330.
Gloria Patri &c. repetitur Antiphona. Asperges me Domine.
Deinde dicit ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

MVltiplica quæſumus Domine in hac area tua dona frumenti, vt ſicut fidelibus tuis trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum fructũ donare conſueuiſti; ita & famulis tuis præſenti tempore vberiùs tuæ largitatis dona largire, & ſuper eam virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio ad fruges nouas.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cœlum & terrã, mare, & omnia creaſti, te ſupplices quæſumus, vt hunc fructum nouum benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi: vt repleas eorum cellaria cum abundantia frumenti, & vini, & olei, vt lætantes in eis referant tibi Deo omnipotenti laudes & gratias. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et aſperguntur aqua benedicta.

Benedictio contra aues, vermes, mures, vel locuſtas, vel alia animalia terram vel fructus vaſtantia, vel aquas inficientia.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

PReces noſtras quæſumus Domine clementer exaudi, vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, & hanc auium, vermium, ſeu murium, aut locuſtarum, vel aliorum animalium perſecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea miſericorditer liberemur; vt tua potentia procul expulſa nulli noceant, & hos campos, agros, vel vineas, aut aquas in tranquillitate & quiete dimittant, quatenùs ex eis ſurgentia & orta, tuæ maieſtati deſeruiant, & noſtræ neceſſitati ſubueniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, omnium bonorum remunerator & peccatorum maximus miſerator, in cuius nomine omnia genua flectuntur

ctuntur cœlestia, terrestria, & infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, vt quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam, efficacem consequatur effectum, quatenùs hos pestiferos vermes vel mures, aues vel locustas, aut alia animalia per nos seruos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, vt per tuam clementiam ab hac peste liberati, gratiarum actiones maiestati tuæ liberè referamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Posteà sequentem exorcismum dicat.

EXorcizo vos pestiferos vermes, mures, aues, seu locustas, aut alia animalia per Deum Patrem omnipotentem ✠ & Iesum Christum filiũ eius ✠ & Spiritum sanctum ab vtroque procedentem ✠ vt confestim recedatis ab his campis seu vineis vel aquis, nec ampliùs in eis habitetis: sed ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis, pro parte omnipotentis Dei, & totius Curiæ cœlestis, & Ecclesiæ sanctæ Dei vos maledicens, vt quocunque ieritis sitis maledicti, deficientes de die in diem in vosipsos, & decrescentes, quatenùs reliquiæ de vobis nullo in loco inueniantur, nisi necessariæ ad salutem, & vsum humanum. Quod præstare dignetur, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen. Rursus ad aquas.

Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui Iordanis flumen benedixisti, & in eodem baptizatus aquas mundasti & purificasti, vt elementum salubre efficerentur in remissionem peccatorum, has aquas quoque benedicere ✠ & sanctificare ✠ & mundare ✠ digneris, vt nil in eis noxium, nil pestilens vel inficiens, nil corrumpens remaneat, sed omnia pura, & munda in eis efficiantur, quatenùs quæ ad vsum humanũ ex eis creata sunt cum salute nostra & gloria tua assumamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Etsi magna fuerit dictarum bestiarum tribulatio, poterit Sacerdos cum processione, vt infrà in festo S. Marci notatum est, cum clero & populo cantando, ad locum infectum accedere, prædictas orationes dicendo super agros vel aquas infectas.

Benedictio salis & aquæ contra vermes & aues semina possessionum vastantes.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, mitte Spiritum tuũ sanctum cum Angelis & Archangelis, cum Thronis, Dominationibus, & cum eis omnes Sanctos & electos tuos: vt defendant segetes no-

ſtras à vermibus malis,& auibus,& magnificetur nomen tuum in omni loco. Per Christum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

BEnedic✠ Domine hanc creaturam ſalis & aquæ,vt fugiant vermes, & volucres à noſtris ſegetibus propter nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod inuocatum eſt in ipſa creatura meſſis, vt fiat alimentum omnibus qui viuunt ex ea. Per eundem. ℟. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta, & eadem deinde aſpergantur campi poſſeſſiones, & ipſæ ſegetes.

Benedictio pabuli animalium, ſcilicet ſalis,hordei, auenæ, & cæterorum: quæ in aliquibus regionibus fit in feſto ſancti Stephani Protomartyris.

℣. Adiutorium noſtrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

Poſteà legatur lectio de Actibus Apoſtolorum.

Lectio Actuum Apoſtolorum.

IN diebus illis: Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellabatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia, & Aſia diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur. Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. Cùm autem eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto,intendens in cœlum vidit gloriam Dei,& Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, & ait. Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum: & eijcientes eum extra Ciuitatem lapidabant. Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus; & lapidabant Stephanum,inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu accipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Subſequatur Euangelium.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tempore. Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc. Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo: cùm autem dormirent homines,venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cùm autem creuiſſet herba,& fructum feciſſet,tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamilias dixerunt ei: Domine,non ne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait illis. Inimicus homo hoc fecit. Serui autẽ dixerunt ei. Vis imus,& colligimus ea? Et ait.

Non; ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis simul & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: Triticum autem congregate in horreum meum.

Finito Euangelio, dicat Sacerdos.

Per istos sermones sancti Euangelij, indulgeat nobis Dominus noster Iesus Christus vniuersa nostra crimina, & delicta. ℟. Amen.

Deinde dicit.

Benedicat Dominus hanc creaturam pabuli, salis, hordei, auenæ, siliginis. ℟. Amen.

Psalmus CXXV.

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion &c. suprà pag. 350.

Gloria Patri. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Aue Maria.

℣. Saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Et si mortiferum quid biberint. ℟. Non eis nocebit.

℣. Gustate, & videte quàm suauis est Dominus. ℟. Beatus homo, qui sperat in eo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Deus omnipotens creator cœli & terræ, Rex Regum, & Dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes, & orantes ad te, qui omnia de nihilo creasti, & hoc pabulum cum cæteris creaturis ad vsus animalium, & ad eorum nutrimentum fecisti, quæ quidem animalia in adiutorium, & sustentationem hominum creasti, & qui hodierna die petitionem S. Stephani Protomartyris adimplesti, te humiliter deprecamur, has creaturas auenæ, salis, & cætera, quæ ad vsus animalium, & sanitatem eorum siue in terra, siue in aqua degentium, per inuocationem sancti nominis tui, & per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis genitricis tuæ, & per merita beati Stephani Protomartyris tui, cuius festum hodie recolimus, & per preces omnium Sanctorum tuorum benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris, vt animalia, quæ ex eis gustauerint, sanitatem integraliter recipiant: per te Iesu Christe, cuius solo verbo omnia restaurantur, Saluator mundi Rex æternæ gloriæ, qui in Trinitate perfecta cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas, Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Deus, qui temporibus Eliæ Prophetæ cœlum à nubibus restringendo clausisti, & rursum aperiendo te mirabilem ostendisti, exaudi preces plebis tuæ per vnigenitum tuum, quem consubstantialem, & coæqualem in diuinitate credimus, & per Spiritum sanctum paraclitum, quem ab vtroque procedere confitemur, & per merita beatissimi Protomartyris Stephani, cuius hodie festum celebramus, vt benedicas ✠ & sanctifices ✠ hoc sal, auenam, hordeum, & siliginem, vt quæcun-

que animalia ex eis gustauerint, adiutorium sanitatis, & incolumitatis recipiant: per te Domine sancte Pater, qui cum Filio, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Et benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super hanc creaturam auenæ, hordei, siliginis, & salis. ℟. Amen. *Aspergantur aqua benedicta.*

Benedictio salis, quod datur ouibus, bobus, vel alijs animalibus.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus inuisibilis, & inæstimabilis pietatem tuam per sanctum, & tremendum filij tui nomen suppliciter deprecamur, vt in hanc creaturam salis benedictionem ✠ & potentiam inuisibilis operationis infundas, vt animalia, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, cùm ex eo acceperint, vel gustauerint, benedictio, ✠ & sanctificatio ✠ tua ab omni ægritudinis, & læsionis incursu te protegente custodiat. Per eundem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, defende quæsumus omnia animalia nostra per hanc creaturam salis, & aquæ, defende pijssime à rapacibus, à latronibus, à bestijs, à scabie, à morbo, à morsibus, à laqueis, à Diabolo, ab infirmitate, ab inuidia, & malitia prauorum, à malis hominibus, à malis oculis, à veneficijs, ab haruspicibus, & ab omnibus malis saluare, & pecudes, & alia animalia, quæ morbis, & infirmitatibus vexantur per hanc creaturam salis, & per inuocationem sancti nominis tui sanare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio in peste animalium.

Primò animalia aspergantur aqua benedicta. Posteà dicatur.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

MIsericordiam tuam Domine supplices exoramus, vt hæc animalia, quæ graui infirmitate vexantur, in nomine tuo, atque tuæ benedi-

ctionis

ctionis ✠ virtute ſanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, ne vlterius ægrotent, tu eis Domine ſis defenſio vitæ, & remedium ſanitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.
Aſpergantur aqua benedicta.

Benedictio vineæ.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui vineam tuam ex Aegypto eductam mirabiliter plantaſti, preces noſtras benignus exaudi, vt in hac vinea famulorum tuorum benedictio ✠ cœleſtis copioſa deſcendat, & quod in ea ad vſum humani generis tribuere dignatus es, multiplicetur redundando, & rorem tuæ benedictionis ✠ infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Aſpergatur aqua benedicta.

Benedictio communis ſuper fruges, & vineas.

℣. Adiutorium noſtrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

TE Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur, vt miſericordia tua iugiter nobis concedas ſufficientem meſſium copiam, & fructuum omnium largitatem tribuas; vinearum quoque ſubſtantiam abundanter, arborum fœtus, prouentusq. omniũ rerum, atque ab ipſis omnibus peſtiferum ſydus, tempeſtatis procellam, & grandinis fragorem, & vniuerſa mala amouere digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, & preces noſtras benignus exaudi, vt in has fruges famulorum tuorum veniat ſperatæ benedictionis ✠ vbertas, & repleti de frugibus tuis in tuo nomine de tua gratia ſemper exultent. Per Chriſtum.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, maieſtatem tuam ſupplices exoramus, vt has terræ noſtræ ſegetes ad maturitatem fertilitatis perducere digneris: vt eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egeni, & pauperes laudent nomen tuum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.
Aſpergat illas aqua benedicta.

Benedictio vini.

℣. Adiutorium noſtrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Ieſu Chriſte vitis vera, & ſalus perpetua, benedicere ✠ dignare potum hunc, ſicut benedixiſti ſex hydrias lapideas in Cana Galilææ, & feciſti vinum de aqua: vt ſint ſani, & ſobrij, atque immaculati omnes, qui ex eo guſtauerint. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Aſpergatur aqua benedicta.

Alia benedictio vini noui.

℣. Adiutorium noſtrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, bonorum omnium dator, & conſeruator, qui inter reliquas creaturas tuas, vinum in hominum ſuſtentationem, & lætitiam ex fructu vuarum prodire iuſſiſti; quiq. per vnigenitum filium tuum Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum in nuptijs in Cana Galilææ aquam in vinum mirabiliter permutaſti, & Sacramentum pretioſiſſimi ſanguinis eiuſdem filij tui in vini materia ſanctificari iuſſiſti, te ſupplices deprecamur, ac petimus, vt hanc creaturam vini benedicere ✠ & ſanctificare digneris, vt famuli tui, & famulæ ex eo guſtantes animæ, & corporis recipiant ſoſpitatem, & te omnium gratiarum largitorem ſine fine collaudent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Aſpergatur aqua benedicta.

Alia benedictio.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, qui cuncta creaſti, & in Cana Galilææ de aqua vinum feciſti, qui es vitis vera, multiplica ſuper nos miſericordiam tuæ pietatis, quemadmodum feciſti patribus noſtris in tua miſericordia ſperantibus: benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris hanc creaturam vini, quod ad vſus ſeruorum tuorum tribuiſti, vt vbicunque fuſum fuerit, vel à quolibet potatum, diuinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur, & accipientes ex eo cum gratiarum actione, ſanctificentur in viſceribus eorum. Per.

Aſpergatur aqua benedicta.

Benedictio noui putei.

℣. Adiutorium noſtrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SVpplices deprecamur Domine clementiam pietatis tuæ, vt aquam putei huius cœleſti benedictione ✠ ſanctifices, & ad communem vitæ vſum concedas eſſe ſalubrem: & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incurſum, vt quicunque ex eo hauſerint, vel biberint, vel in quibuſcunque neceſſarijs vſibus hauſta aqua vſi fuerint, totius virtutis, ac ſanitatis dulcedine perfruantur; vt tibi ſanctificatori, & Saluatori omnium Domino gratias agere mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Oremus. Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui in huius putei altitudinem copiam aquarum manare iuſſiſti, præſta, vt te iubente atque benedicente ✠ per noſtræ officium functionis, repulſis hinc phantaſmatibus, calliditatibus, atque inſidijs diabolicis purificatus atque emundatus ſemper hic puteus perſeueret. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſteà aſpergatur aqua benedictã.

Benedictio aquæ pro infirmis.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui benedixiſti quinque panes in deſerto, vnde ſatiata ſunt quinque millia hominum, te ſupplices exoramus, vt benedicere ✠ digneris hanc aquam: vt quicunque infirmus ex ea guſtauerit, accipiat ſanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, & charitatem Spiritus ſancti. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

Benedictio thuribuli.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O re-

Oremus. Oratio.

DOmine Deus, qui dum filios Israel ob rebellem sui contumaciam durum vastaret incendium, Aaron Sacerdotem tuum inter viuos, ac mortuos orando stantem, tibiq. incensum offerentem exaudire dignatus es, populumq. de incendio liberare, benedic ✠ hoc quæsumus thuribulum, & præsta, vt quoties tibi in eo offerimus incensum, nos ipsos Christo tuo efficias boni odoris acceptabile templum. Qui venturus es iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Alia oratio.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui in deserto profanæ multitudinis murmurationem flamma mulctante cum Aaron Sacerdos tuus repleto de altaris igne thuribulo tuæ maiestati pro illius liberatione humiliter supplicaret incenso placatus, precibus eius clementer annuisti, benedic ✠ hoc quæsumus thuribulum tua maiestate, & præsta, vt quod in eo tibi offertur incensum, sit fuga dæmonum, repulsio phantasmatum, immundarum abscessio cogitationum, sitq. in illius odore nostra tibi oratio semper accepta. Per Christum.

Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio incensi, vel thymiamatis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus omnipotens, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, immitte in hanc creaturam incensi, vel thymiamatis vim odoris tui atque virtutem, vt sit seruis, vel ancillis tuis munimentum, tutelaq. defensionis, ne intret hostis in viscera eorum, nec habitum ibi, vel sedem possit habere. Per Christum Dominum nostrum.

Et aspergatur aqua benedicta.

Alia oratio.

DOmine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum, dignare respicere, & benedicere ✠ & sanctificare hanc creaturam incensi, vt omnes languores, dæmonumq. insidiæ odorem ipsius sentientes fugiant, & separentur à plasmate tuo, quod filij tui pretioso sanguine redemisti, vt nunquam lædatur à morsu serpentis antiqui. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Alia oratio.

DEus, qui Moysi famulo tuo per Spiritum sanctum reuelare dignatus es, quæ ad cultum sanctuarij necessaria decreuisti, ex quibus thymiama boni odoris ad opus Ecclesiæ tuæ ob causam religionis iugiter permanere iussisti, vt mystica nobis significatione spiritualium virtu-

tum

tum fragrans ostenderet odorem suauitatis: tua ergo quæsumus omnipotens Deus immensæ maiestatis dextera hanc creaturam benedicere ✠ ex diuersarum rerum commixtione confectam dignare, vt virtute sancti nominis tui omnes immundorum spirituum phantasticos incursus effugare, omnesq. morbos reddita sanitate expellere vbicunque fumus aromatum eius efflauerit mirabiliter possit, atque in odorem fragrantissimum tibi Domino perpetua redoleat suauitate. Per.

Benedictio ignis extra diem Sabbati sancti.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Deus noster Pater omnipotens, lumen indeficiens, conditor omnium luminum, exaudi nos famulos tuos, & benedic ✠ hunc ignem qui tua sanctificatione atque benedictione ✠ consecretur: tu qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina tenebras cordis nostri, & conscientias nostras igne tuæ charitatis, vt tuo lumine illuminati, expulsis tenebris, ad vitam te illustrante peruenire mereamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia oratio.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus in nomine tuo, & filij tui Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti benedicimus hanc creaturam ignis: tu quoque eam tua virtute corrobora, & ad nostram salutem prouenire cõcede. Per Christum Dominum nostrũ. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

Benedictio extraordinaria candelarum, siue quæ fit extra diem Purificationis sanctæ Mariæ virginis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe fili Dei viui benedic ✠ candelas istas supplicationibus nostris: infunde eis Domine per virtutem sanctæ Crucis ✠ benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti; talemq. benedictionem signaculo sanctæ Crucis ✠ accipiant, vt in quibuscunque locis accensæ, siue positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pauidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis: nec præsumant

mant amplius inquietare, aut molestare seruientes tibi omnipotenti Deo. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Postmodùm aspergantur aqua benedicta.

Alia benedictio ad idem.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde benedictionem ✠ tuam super hos cereos, & super has candelas, & sanctifica ✠ eas lumine gratiæ tuæ, & concede propitius, vt sicut hæc luminaria igne visibili accensa nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra inuisibili igne, idest Spiritus sancti splendore illustrata, omnium peccatorum & vitiorum cœcitate careant, vt puro mentis oculo cernere semper possimus, quæ tibi sint placita, & nostræ saluti vtilia, quatenus post huius seculi caliginosa discrimina ad lucem indeficientem peruenire mereamur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Posteà aspergantur aqua benedicta.

Alia benedictio ceræ, ex qua cerei, siue candelæ efformantur, ad eas in domibus fidelium habendas, vel accendendas aduersus malignorum spirituum terriculamenta, & vexationes, vel pro quacunque simili tribulatione, aut necessitate.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic Domine Iesu Christe hanc creaturam ceræ supplicantibus nobis, & infunde ei per virtutem sanctæ Crucis tuæ ✠ benedictionem cœlestem, vt qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, talem signaculo sanctæ Crucis tuæ fortitudinem, & benedictionem accipiat, vt in quibuscunque locis accensa siue posita fuerit, discedat diabolus, & contremiscat, & fugiat pauidus cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat ampliùs inquietare, vel illudere seruientes tibi. Qui cum Deo Patre.

Oremus. Oratio.

BEnedico te cera in nomine sanctæ Trinitatis, ✠ vt sis vbique diaboli effugatio, atque omnium contubernalium suorum exterminatio, adiu-

adiuuante eadem sancta & indiuidua Trinitate, quæ in vnitatis essentia viuit, & regnat Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.
Deinde aspergatur aqua benedicta.

Præcedens hæc benedictio etiam adhiberi potest ad benedicendum ceram, ex qua deinde fusa formantur varijs typis cereæ cruces, diebus Rogationum, vel vigilia Ascensionis Domini, quæ iuxta consuetudinem complurium Regionum, & Prouinciarum, in portis Vrbium, & Oppidorum, atque Ecclesiarum, domorum, & habitationum fidelium foribus, vel postibus affiguntur; siue ad benedicendas ipsas cruces cereas, postquàm formatæ fuerint, vt lubet, nisi quòd in huiusmodi ceræ seu crucum cerearum benedictione in prima oratione omittuntur verba, accensa siue: sed tantùm dicitur, vt in quibuscunque locis posita fuerit, &c.

Vbi verò fuerit religiosa consuetudo, vt de cereo Paschali benedicto fidelibus plebibus distribuatur, siue ad suffumigandum in domibus, agris, & vineis, siue ad retinendum, seu ponendum in eis contra diabolicas illusiones, fulmina, tonitrua, & tempestates: illa quidem seruetur, & id fiat vel de cereo Paschali præcedentis anni Dominica post albas, seu in octauis Paschæ post Missam, vel de cereo præsentis anni in Ascensione Domini, in cuius Euangelij fine cereus ipse accensus extinguitur, prout in Missali similiter post Missam.

Benedictio terræ seminatæ.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Benedicat ✠ nos Deus noster, & terræ nostræ vbertatem concedat, in centuplum amplificet fructus eius, vt viuentes in exultatione manipulos nostros colligamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio florum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Benedic ✠ omnipotens Deus creaturas istas florum, vt sint in remedium, & salutem generi humano, & præsta per inuocationem tui sanctissimi nominis, vt in locis, seu super quibus aspersi fuerint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Et aspergantur aqua benedicta.

Bene-

Benedictio ſeminum olerum, & leguminum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

TE Domine petimus, & rogamus, vt hæc ſegetum, fructuum, olerum, leguminum & herbarum ſemina oculis tuis ſerenis aſpicias: ſicut enim teſtatus es Moyſi famulo tuo in terra Aegypti, dicens: Dic filijs Iſrael, cùm ingreſſi fuerint terram promiſſionis, quam eis Dominus Deus daturus eſt, initium frugum ſuarum offerant Sacerdotibus, & erit benedicta: ità, & nos oramus Domine auxilium miſericordiæ tuæ ſuper hæc ſemina, ex quibus fructus de terra ſuſcipere ſperamus; vt non grando illa ſuccidat, non turbo tempeſtatis detruncet, non aquarum inundantia abducat, non aeris intẽperies exterminet, ſed tua ſancta benedictione ✠ munita, fructifera, & ſuperabundantia propter animarũ, & corporum humanorum vtilitatem, & vſum, ad pleniſſimam maturitatem perducere digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Aſpergantur aqua benedicta.

Benedictio diuerſarum herbarum agreſtium, & hortenſium, ſeu ſatiuarum, quæ in feſto die Aſſumptionis B. Mariæ ſemper virginis in aliquibus Germaniæ Prouincijs, Salisburgen. & Moguntina, & finitimis regionibus de more colliguntur & benedicuntur, & pro deuotione retinentur; vel vt de eis aliquid detur ſumendum infirmis hominibus, pecoribus, vel iumentis, & alijs beſtijs, ad illarum ſanitatem, vel iuxta eorum deuotionem.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine ſancte Pater omnipotens, qui ab initio feciſti hominem ad imaginem tuam, & condidiſti cœlum & terram, ſolem, & lunam, & ſtellas, & omnia cœleſtia ac terreſtria: Tu Domine dominaris poteſtati maris, tu habes poteſtatem abyſſi magnæ, tu condidiſti omnia elementa: Tu benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris has creaturas herbarum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, & duos piſces, & ſatiaſti quinque millia virorum; omneſq́. qui vtuntur ex eis benedicere ✠ & ſanctificare ✠ dignare, vt eis ſit ſanitas animæ & corporis, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠. Et ab omnibus hominibus,

bus, & pecoribus quæ ex hoc gustauerint, omnem putredinem,& omne phantasma diaboli,& omnem morbum & pestilentiam ac dolorem expellere digneris. Qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus,per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

SVppliciter sancte Pater, atque subnixis precibus tuam deprecamur clementiam,qui mirabiliter ex nihilo cuncta creasti;qui terram diuersa proferre germina præcepisti, & varia medicamentorum genera ad sananda generis humani corpora herbis indidisti, benedicere ✠ & sanctificare ✠ has diuersi generis herbas tua pietate digneris, vt quicũque ex eis in hac solennitate venerabilis ac sanctæ Dei genitricis Mariæ sumpturi sunt, tam animæ quàm corporis sanitatem percipiant, & intercedente B. Maria semper virgine sic earum vsu iucundentur salubriter,quatenùs in tuorum vnguentorum odore paradisi ianuas adire mereantur. Præstante Domino Deo nostro Iesu Christo.Qui tecum viuit & regnat Deus,per omnia secula seculorum. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus,qui vniuersis generibus herbarum humanis necessitatibus præstitisti remedia,hanc herbarum collectionem tuæ miserationis benedic ✠ dextera; vt quisquis languore depressus ex eis aliquid gustauerit,Ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentatus,optatæ munus salutis te donante percipiat. Per Dominum.

℟. Vidi speciosam sicut columbam descendẽtem desuper riuos aquarum,cuius inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis eius. Et sicut dies verni circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.

℣. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, Et sicut dies verni.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

VEneranda huius diei festiuitas nobis opem conferat sempiternam, in qua sancta Dei genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Per eundem.

Deinde herbæ thurificentur, & aqua benedicta aspergantur.

Benedictio herbarum quocunque tempore.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEscendat benedictio ✠ Patris & Filij & Spiritus sancti super hanc creaturam herbarum, vt quicunque ex eis sumpserint, accipiant sanitatem

nitatem mentis & tutelam ſalutis, corroborationem fidei, æternitatem Spiritus ſancti. Per Dominum noſtrum Ieſum. in vnitate &c.
Et aſpergat eas aqua benedicta.

Benedictio arborum.

℣. Adiutorium noſtrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oremus. Oratio.

DEus, qui huius arboris plantam tua viſitatione, & prouidentia protectam eſſe voluiſti, nunc etiam eandem benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris precamur; vt quicũque ex fructu eius ſumpſerint, ſani, & incolumes eſſe valeant. Per Chriſtum Dominum noſtrũ. ℟. Amen.
Aſpergatur aqua benedicta.

Benedictio nouorum fructuum, vel pomorum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oremus. Oratio.

TE deprecamur omnipotens æterne Deus, vt benedicas ✠ hunc fructum nouorum pomorum, vt qui per eſum interdictæ arboris lethali in protoparente funere mulctati ſumus, propitius poſtulationibus noſtris placatus intendas, & per virtutem tuam, & dilectiſſimi Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti hos fructus tua benedictione ſanctifices ✠ atque tua dignatione purifices, ✠ vt expulſa vetuſti hominis, ac primi facinoris incentoris prauitate, ſalubriter ex hac die de vniuerſis terræ edendis germinibus, ad tui laudem cum alacritate, & ſoſpitate ſumamus. Per Chriſtum. ℟. Amen.
Et aſpergantur aqua benedicta.

Alia benedictio.

℣. Adiutorium noſtrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oremus. Oratio.

DEus qui hæc arboris poma tua prouidentia eſſe voluiſti, nunc etiam benedicere ✠ eadem, & ſanctificare ✠ digneris; precamurq́ue, vt quicunque ex eis ſumpſerint, incolumes eſſe valeant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio fructuum nouarum arborum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine hunc nouum fructum N. & præsta, vt qui ex eo in tuo nomine vescetur, corporis, & animæ salute potiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Alia benedictio noui fructus.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus bonorum nostrorum largitor, qui primitias tibi in lege Moysis offerri præcepisti: benedicere ✠ digneris hunc nouum fructum N. & præsta, vt qui ex eo in tuo sancto nomine cum gratiarum actione vescetur, corporis, & animæ salute potiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio vuæ de mense Augusti, seu in festo Transfigurationis Saluatoris, vel ficuum, vel aliorum pomorum, leguminum, & quorumcunque nouorum fructuum terræ, amygdalarum, castanearum, peponum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ Domine hos fructus nouos vuæ, vel ficuum, vel cuiuscunque generis, quos tu Domine per rorem cœli, & inundantiam pluuiarum, & temporum serenitatem ad maturitatem perducere dignatus es: & dedisti eos ad vsus nostros cum gratiarum actione percipere, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum & cum sancto Spiritu viuit, & regnat per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Benedictio ad vaſa noua, vt dolia, & amphoras.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

PRotector fidelium Deus, & ſubditorum pectorum habitator, quæſumus, vt ſerenis oculis tuæ pietatis hæc vaſcula ita illuſtrare digneris; vt ſuper ea deſcendat gratia tuæ largæ benedictionis: vt cum ſalubritate vtentes eis, per gratiam tuam mereantur vaſa effici munda. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergantur aqua benedicta.

Benedictio olei.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Exorciſmus.

EXorcizo te creatura olei per Deum Patrem ✠ omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Omnis virtus aduerſarij, omnis exercitus diaboli, & omnis incurſus, omne phantaſma Satanæ eradicare, & effugare ab hac creatura olei, vt fiat omnibus, qui eo vſuri ſunt ſalus mentis, & corporis in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & Ieſu ✠ Chriſti filij eius Domini noſtri, & Spiritus ſancti ✠ paracleti, & in charitate eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Deus omnipotens, cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſeruitium ſpirituale cognoſcitur, dignare reſpicere, & benedicere ✠ & ſanctificare ✠ hanc creaturam olei, quam ex oliuarum ſucco eduxiſti, & ex eo infirmos inungi mandaſti, quatenus ſanitate percepta tibi Deo viuo, & vero gratias agerent: præſta quæſumus, vt hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicimus ✠ vſi fuerint, ab omni languore, omniq. infirmitate, atque cunctis inſidijs inimici liberentur, & cunctæ aduerſitates ſeparentur à plaſmate tuo, quod pretioſo ſanguine filij tui redemiſti: vt nunquam lædatur à morſu ſerpentis antiqui. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate &c.

Aſpergatur aqua benedicta.

Benedictio, siue Oratio ad initium alicuius boni operis.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, à quo omne bonum sumit initium, & semper ad potiora progrediens percipit incrementum: concede quæsumus supplicantibus nobis, vt quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, æterno tuæ paternæ sapientiæ munere perducatur ad terminum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia benedictio.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlũ & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere; vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DE PROCESSIONIBVS.



Rocessiones quædam sunt ordinariæ, quædam extraordinariæ. Ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, vt in Purificatione beatæ Mariæ, in Dominica Palmarum, in festo sancti Marci, seu in Litanijs maioribus, & in minoribus, & in festo Corporis Christi, vel alijs certis diebus secundùm consuetudinem Ecclesiarum. Extraordinariæ verò sunt, quæ fiunt diebus incertis pro publica causa secundùm diuersas occasiones, vel ad placandum Deum, & diuinam misericordiam implorandam, vel ad aliquid à Deo obtinendum, seu ad gratias pro accepto beneficio Deo agendas.

Ordinariæ quidem fiunt iuxta præscriptum sanctæ Ecclesiæ, vt in die festo Purificationis beatæ Mariæ semper virginis completa benedictione, & distributione candelarum, vt in Missali Romano reformato, fit processio, posito incenso in thuribulum per celebrantem, præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde Diaconus vertit se ad populum, & dicit.

Procedamus in pace. Et Chorus respondet: In nomine Christi. Amen.

Tunc Subdiaconus paratus cum tunicella plicata, accipit crucem medius inter duos Acoluthos ceroferarios cum candelabris accẽsis. Quod seruatur in omnibus processionibus, & sequitur Clerus per ordinem, & vltimò celebrans cum Diacono in paramentis violaceis, omnes cum candelis accensis, & interim cantantur Antiphonæ sequentes.

ADorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem Christum, amplectere Mariam, quæ est cœlestis porta: ipsa enim portat Regem gloriæ noui luminis: subsistit virgo adducens manibus filium ante Luciferum genitum, quem accipiens Simeon in vlnas suas, prædicauit populis Dominum eum esse vitæ, & mortis, & saluatorem mundi.

Alia Antiphona.

REsponsum accepit Simeon à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini: & cùm inducerent puerum in templum, accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace. ℣. Cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, ipse accepit eum in vlnas suas.

Et ingrediendo Ecclesiam cantatur Responsorium.

Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Sicut scriptum est in lege Domini. ℣. Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino. Sicut scriptũ est. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut scriptum est.

Finita processione celebrans, & ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa.

De processione in die Palmarum.

IN Dominica Palmarum completa Tertia, & facta aspersione aquæ benedictæ more solito post benedictionem, & distributionem palmarum, & vltimam orationem. Omnipotens sempiterne Deus, qui Dominum nostrum Iesum Christum &c. Diaconus vertit se ad populum, & dicit: Procedamus in pace. Et chorus respondet, In nomine Christi. Amen. Et fit processio.

Præcedit thuriferarius cum igne, & incenso: Subdiaconus paratus cum tunicella plicata defert crucem medius inter duos Acoluthos cum candelabris, & candelis accensis: sequuntur Cantores, & ministri, & Clerus, cantantur omnes sequentes Antiphonæ, vel earum aliquæ dum processio durat. Antiphona.

CVm appropinquaret Dominus Hierosolymam, misit duos ex discipulis suis, dicens. Ite in castellum quod est contra vos, & inuenietis pullum asinæ alligatum, super quem nullus hominum sedit, soluite, & adducite mihi. Si quis vos interrogauerit, dicite, opus Domino est. Soluentes adduxerunt ad Iesum: & imposuerunt illi vestimenta sua, & sedit super eum: alij expandebant vestimenta sua in via: alij ramos de arboribus sternebant: & qui sequebantur clamabant. Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum Regnum patris nostri Dauid: Osanna in excelsis: miserere nobis fili Dauid.

Alia Antiphona.

CVm audisset populus, quia Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & exierunt ei obuiam, & clamabant pueri dicentes: Hic est, qui venturus est in salutem populi. Hic est salus nostra, & redemptio Israel. Quantus est iste, cui Throni, & Dominationes occurrunt? Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit tibi, sedens super pullum asinæ, sicut scriptum est. Salue rex fabricator mundi, qui venisti redimere nos. Alia Antiphona.

ANte sex dies solennis Paschæ, quando venit Dominus in ciuitatem Hierusalem, occurrerunt ei pueri, & in manibus portabant ramos palmarum, & clamabant voce magna, dicentes: Osanna in excelsis: benedictus qui venisti in multitudine misericordiæ tuæ: Osanna in excelsis. Alia Antiphona.

OCcurrunt turbæ cum floribus, & palmis redemptori obuiam: & victori triumphanti digna dant obsequia. Filium Dei ore gentes prædicant: & in laudem Christi voces tonant per nubila: Osanna in excelsis. Alia Antiphona.

CVm Angelis, & pueris fideles inueniamur triumphatori mortis clamantes: Osanna in excelsis.

Alia Antiphona.

TVrba multa, quæ conuenerat ad diem festum, clamabat Domino: Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.

In reuersione processionis ad Ecclesiam, duo, vel quatuor Cantores intrant, & clauso ostio stantes versa facie ad processionem incipiunt ℣. Gloria, laus, & totum decantant vsque ad, Israel es tu Rex. Sacerdos verò cum alijs stantibus extra Ecclesiam repetit illud idem: deinde stantes intus cantant versus sequentes vel omnes, vel partem pro dispositione cantorum. Et stantes extra ad quoslibet duos versus respondent. Gloria, laus. sicut à principio ℣.

Gloria, laus, & honor, tibi sit Rex Christe Redemptor.
Cui puerile decus prompsit Osanna pium.
Israel es tu Rex, Dauidis & inclyta proles,
Nomine qui in Domini Rex benedicte venis.
℟. Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe redemptor,
Cui puerile decus prompsit Osanna pium.
Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis,
Et mortalis homo, cuncta creata simul.
℟. Gloria, laus, & honor tibi sit. Cui puerile decus.
Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit:
Cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi.
℟. Gloria, laus, & honor. Cui puerile decus.
Hi tibi passuro soluebant munia laudis:
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
℟. Gloria, laus, & honor.
Hi placuere tibi, placeat deuotio nostra,
Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.
℟. Gloria, laus, & honor.
Fecerat Hebræos hos gloria sanguinis almi,
Nos facit Hebræos transitus ecce pius.
℟. Gloria, laus, & honor.
Sis pius ascensor tu, & nos tibi simus asellus:
Tecum nos capiat Vrbs veneranda Dei.
℟. Gloria, laus, & honor.
Vestis Apostolicæ rutilo fulgore tegamur,
Te benè docta, vt ea nostra caterua vehat.
℟. Gloria, laus, & honor.
Tegmine sic animæ sternamus corpora nostra,
Quo per nos semper sit via tuta tibi.
℟. Gloria, laus, & honor.
Sit pia pro palmæ nobis victoria ramis,
Vt tibi victrici sorte canamus ita.
℟. Gloria, laus, & honor.

Posteà intrat processio Ecclesiam cantando Responsorium.

Ingrediente Domino in sanctam Ciuitatem, Hebræorum pueri resurrectionem vitæ pronuntiantes, cum ramis palmarum Osanna clamabant in excelsis.

℣. Cum

℣. Cùm audisset populus, quòd Iesus veniret Hierosolymam, exierunt obuiam ei. Cum ramis. & non dicitur Gloria Patri.

Deinde dicitur Missa, & rami tenentur in manibus vsque in finem.

In aliquibus Ecclesijs, præsertim in Regno Neapolitano, & in Terra laboris in hac processione repræsentatur ingressus Christi Domini in gloriam, vel descensus ad inferos, cùm liberauit sanctos Patres, & electos de carcere inferorum; & antequàm Clerus, & processio ingrediantur in Ecclesiam, duo vel plures Cantores ingrediuntur Ecclesiam, & obseratis foribus manent intus: foris verò celebrans accipit hastam crucis, & pulsat fores dicendo Versus Psalmi xxiii.

Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. & intus Cantores respondent, Quis est iste Rex gloriæ? & Sacerdos, & qui foris sunt, respondent: Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prœlio. Et iterum Sacerdos pulsat, & qui foris sunt dicunt.

Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Et qui intus, replicant, Quis est iste Rex gloriæ? Et Sacerdos, & qui foris sunt dicunt: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Et pulsant tertiò, & aperiuntur fores, & intromittitur crux, & ingreditur processio laudans Dominum. Et vbi est ista consuetudo, seruetur.

De processione facienda in Litania maiori in festo sancti Marci.

IN Ordine Romano de officijs diuinis traditur, quòd Romana consuetudo vnum diem, idest vij. kalendas Maij, interponit, quem vocat Litaniam maiorem, non in ieiunio. Litania autem Græcè, Latinè Rogatio dicitur; inde & Rogationes. Potest enim serena mens, & aliena à voluntate mala precari Deum, quamuis manducet sobriè. Hanc autem legimus statutam esse à S. Gregorio propter imminentem cœlestis iræ mucronem. Iussit autem fieri in eodem die Litaniam septenam, ita præcipiens: Litania Clericorum exeat ab Ecclesia beati Ioannis Baptistæ: Litania virorum ab Ecclesia sancti Marcelli martyris: Litania Monachorum ab Ecclesia sanctorum martyrum Ioannis, & Pauli: Litania ancillarum Dei ab Ecclesia beatorum martyrum Cosmæ, & Damiani: Litania fœminarum coniugatarum ab Ecclesia beati primi martyris Stephani: Litania viduarum ab Ecclesia beati martyris Vitalis: Litania puerorum, & infantum ab Ecclesia beatæ martyris Cæciliæ. Pro importunitate autem bellorũ potest proculdubiò videri Litania instituta esse, & ex inæqualitate temporis colligimus eam necessariam esse ad fruges conseruandas. Quam Litaniam vna die obseruare debent omnes Christiani, non equitando, non pretiosis vestibus induti, cinere respersi, & cilicio induti; nisi infirmitas impediret.

Et habetur in sermone eiusdem beati Gregorij Papæ habito tempore mortalitatis libro xj. Regesti cap. ij. vbi dicitur.

Oportet fratres charissimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia, & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa iam quam patimur, pœna dissoluat. Vt enim Propheta teste prædictum est, Peruenit gladius vsque ad animam. Ecce enim cuncta plebs cœ-

lestis iræ mucrone percutitur,& repentina singuli cæde vastantur: nec languor mortem præuenit, sed languoris moras,vt cernitis,mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo qualis ad conspectum districti iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quippe non ex parte subtrahuntur,sed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur,filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando commisimus; & quod nequiter egimus flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet, leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam,qui per Prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur,& viuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abstersit: & conuersus latro, vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Leuemus igitur corda,& præsumamus nos iam præcepisse quod petimus. Citius ad precem iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio nos importunis fletibus insistamus. Ea namque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudici veritatis placet: quia pius ac misericors Deus,à se vult veniam precibus exigi,qui quantùm meremur non vult irasci. Hic etenim per Psalmistam dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est,quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet vt inuocetur. Proinde,fratres charissimi,contrito corde & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem Litaniam iuxta distributionem inferiùs designatam deuota mente cum lacrymis veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat: nullus quodlibet negotium agere præsumat: quatenùs ad sanctæ genitricis Domini Ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala, quæ fecimus, deploremus: vt districtus iudex,dum culpas nostras punire considerat,ipse à sententia propositæ damnationis parcat. Sequitur: Litania Clericorum exeat ab Ecclesia beati Ioannis Baptistæ: Litania virorum ab Ecclesia beati martyris Marcelli: Litania Monachorum ab Ecclesia martyrum Ioannis & Pauli: Litania ancillarum Dei ab Ecclesia beatorum martyrum Cosmæ,& Damiani: Litania fœminarum coniugatarum ab Ecclesia beati primi martyris Stephani: Litania viduarum ab Ecclesia martyris Vitalis: Litania puerorum & infantium ab Ecclesia beatæ martyris Cæciliæ.

Et referunt, Beda inter varios sermones de maiori Litania Tomo vij. & in libello de officijs, tit. de Litania maiore eodem Tomo vij.

Alcuinus de diuinis officijs tit. de Litania maiore.

Amalarius Fortunatus de Ecclesiasticis officijs libro j. cap.xxxvij. De Litania maiore. §.Romana consuetudo. & libro iiij. cap.xxiiij. & xxv. &

Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus cap.lvij.

Ioannes Diaconus in vita beati Gregorij libro j. præsertim à num.xxxiiij. vsque ad num.xliiij.

Gulielmus Durandus libro vj. Rationalis cap.cij. num.2.

Sacerdot. parte iij. De processione facienda in Litania maiori, scilicet in festo sancti Marci.

Ex quibus quidem apparet auctorem huius processionis fuisse beatum Gregorium, qui propter pestem illam inguinariam, seu potiùs anguinariam, illam instituit vij. kal.Maij in festo S.Marci.

Et deinde hunc morem fuisse generaliter receptum, vt singulis annis per vniuersum orbem vij. kal. Maij in festo S. Marci fieret processio, sed non eo ordine.

Quocirca Concilium Moguntiacum sub Carolo Magno cap.xxxiij. ita statuit.

Placuit

Placuit nobis, vt Litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus: & sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere, & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.

Et refertur à Burchardo Episcopo Vuormaciensi libro xiij. decretorum cap. vj. ex Concilio Moguntino cap. vj. &

Iuone Carnotensi parte iiij. decretorum cap. xxxix. ex Concilio Moguntino cap. xxxiij. & in libro Sacerdotali de processione facienda in Litania maiore ex eodem Concilio cap. vj. licet paulo aliter: nam apud hos dicitur, vno die vij. kal. Maij, in prædicto autem Concilio dicitur diebus tribus. Sic enim habent, & forsan emendatiùs.

Placuit nobis, vt Litania maior sit obseruanda à cunctis Christianis vno die vij. kal. Maij, sicut in Romana Ecclesia constitutum reperimus, & sicut sancti Patres constituerunt: non equitando, non pretiosis vestibus induti; cinere respersi, & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.

PRimùm celebratur Missa de Litania maiori, quæ ponitur in Litanijs maioribus, & minoribus post Dominicam v. post Pascha. Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. Alleluia. Et deinde Missa de S. Marco Euangelista, si ante processionem celebranda est, & adsit Clerus sufficiens ad vtramque celebrandam. Si verò non habetur, dicitur Missa de S. Marco, cum commemoratione de Litania maiori. Vel si post processionem dicitur in Ecclesia, ad quam itum est, similiter dicitur de S. Marco, cum eadem commemoratione.

Præparatis igitur Clericis, & populo in Ecclesia hora competenti cùm ad processionem exire debuerint omnes flectant genua, & cantent sequentem Antiphonam flexis genibus. Antiphona.

ORemus dilectissimi nobis Deum Patrem omnipotentem, vt cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissoluat: peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, nauigantibus portum salutis indulgeat; & pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesq. depellat inimicos, & de manu inferi liberet nos propter nomen suum.

Completa Antiphona præcedenti, incipiatur Antiphona. Exurge Domine. & omnes surgentes, eam prosequantur. Antiphona.

Exurge Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. Psalmus.

Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annuntiauerunt nobis.

℣. Gloria Patri. Antiphona. Exurge Domine.

Repetita Antiphona. Exurge &c. Diaconus alta voce dicit: Procedamus cum pace. & chorus respondet: In nomine Christi Amen. duo Clerici ante altare genuflexi incipiunt Litaniam vt suprà post septem Psalmos pœnitentiales pag. 332.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater de cœlis Deus &c. Et chorus respondens prosequitur, omnibus, qui sunt præsentes, genuflexis vsque dum dicatur, Sancte Petre, Ora pro nobis. Et tunc egrediatur processio præcedentibus Acoluthis,

Thu-

Thuriferarijs, & Ceroferarijs, & Subdiacono parato cum cruce, & subsequentibus clericis iunioribus & schola Cantorum, & alijs Presbyteris; & vltimò sequatur Sacerdos celebrans, seu Prælatus cum pluuiali, & Diaconus cum Dalmatica, seu tunicella plicata, sicut Subdiaconus, & Assistens, & procedant cantando Litaniam quousque ad aliquam Ecclesiam peruenerint, quam ingressi, dimissa Litania, incipiant Antiphonam sequentem, & eam cantent. Antiphona.

Ego sum Deus patrum vestrorum dicit Dominus. Videns vidi afflictionem populi mei, & gemitum eius audiui, & descendi liberare eos.

Qua cantata dicat Sacerdos.

℣. Propitius esto peccatis nostris Domine propter nomen tuum.
Ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum?
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio

Deus, qui iustè irasceris, & clementer ignoscis, afflicti populi tui lacrymas respice, & iram tuæ indignationis, quam iustè meremur, propitiatus auerte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Posteà cantetur Antiphona cum ℣. & Oratione de Sancto in cuius honorem Ecclesia illa est titulata. Quibus finitis resumpta Litania in loco vbi intermissa fuerat, vel si fuerit completa, incœpto aliquo Hymno, procedant ad processionem: & cùm ad aliam Ecclesiam peruenerint, dimissa Litania, vel Hymno cantent Antiphonam.

Clementissime Domine exaudi populum tuum, tuã misericordiam deuotè poscentem, & in tua protectione sperantem ad te conuerte propitius.

℣. Exurge Domine adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Oremus. Oratio.

Miserere quæsumus Domine familiæ tuæ, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, munera compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per. ℟. Amen.

Posteà dicantur Antiphona, ℣. & Orationes de Sancto, vel Sancta, cuius est Ecclesia. Posteà resumpta Litania, vel Hymno vbi fuerant intermissi, processionem prosequantur. Et cùm peruenerint ad aliam Ecclesiam, intermissis Litania, vel Hymno cantent Antiphonam.

Domine Deus noster, qui cum Patribus nostris mirabilia magna fecisti, nostris quoque glorificare temporibus, qui misisti manum tuam de alto, & liberasti nos Saluator noster.

℣. Si ambulauerimus in medio tribulationis, viuificabis nos Domine.
℟. Et nomen tuum inuocabimus.

Oremus. Oratio.

Deus, qui culpas delinquentium districtè feriendo percutis, & fletus quoque lugentium non recusas: præsta quæsumus, vt qui pondus tuæ animaduersionis cognouimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per Christum Dominum nostrum.

Post-

Postmodùm fiat commemoratio de Sancto, vel Sancta, cuius nomine illa Ecclesia est appellata per Antiphonam, ℣. & Orationem. Et reassumatur Litania, vbi fuerat dimissa, vel Hymnus, & ad processionem procedatur vsque ad aliam Ecclesiam, ad quam processio vadit, & ibi dimissa Litania, vel Hymno cantetur Antiphona.

MVlta sunt Domine peccata nostra, quæ tibi peccauimus patientia Israel: libera nos Domine in tempore angustiæ nostræ Deus noster.

℣. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui culpas nostras pijs verberibus flagellas, vt à nostris iniquitatibus emundes, da nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citiùs consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrũ. ℟. Amen.

Posteà de Sancto, vel Sancta in cuius honorem fundata est Ecclesia per Antiphonas, Versus, & Orationes fiat commemoratio, & resumpta Litania, vel Hymno, vbi fuerant dimissa, procedatur ad aliam Ecclesiam, quam ingressi cantent Antiphonam.

PArce Domine, parce populo tuo, quem redemisti sanguine tuo, vt non in æternùm irascaris nobis.

℣. Adiuua nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

Oremus. Oratio.

PArce Domine, parce populo tuo, & nullis iam patiaris aduersitatibus fatigari, quos pretioso filij tui Domini nostri Iesu Christi sanguine redemisti. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum.

Posteà fiat commemoratio de Sancto, vel Sancta illius Ecclesiæ per Antiphonam, Versus, & Orationem: & resumpta Litania, vel Hymno procedatur ad processionem versus Ecclesiam, vbi processio debet terminari Quam ingressi Clerici, & Religiosi, qui adfuerint, collocent se hinc inde, nec recedant donec omnia fuerint completa: & hoc etiam in alijs processionibus obseruetur. Ingressi igitur Ecclesiam cantent Antiphonam.

PEccauimus Domine, & tu iratus es nobis, & non est qui effugiat manum tuam, sed supplicamus, vt veniat super nos misericordia tua: & qui Niniuitis pepercisti, miserere nobis Domine Deus noster.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Tribulationes cordis nostri multiplicatæ sunt. ℟. De necessitatibus nostris libera nos Domine.

℣. Peccauimus cum patribus nostris. ℟. Iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

℣. Mi-

℣. Miserere nostri Domine, miserere nostri. ℟. Quia multùm repleti sumus despectione.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos. ℟. Quemadmodùm sperauimus in te.

℣. Deus ne elongeris à nobis. ℟. Deus in auxilium nostrum respice.

℣. Memor esto Congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

CLamantium ad te Domine preces dignanter exaudi, vt sicut Niniuitis in afflictione positis pepercisti; ita & nobis in præsenti tribulatione succurrere digneris. Per Christum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DA nobis quæsumus Domine de tribulatione lætitiam, vt qui diu pro nostris peccatis affligimur, in tua misericordia respiremus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

SVccurre quæsumus Domine populo tuo supplicanti, & opem tuam tribue benignus infirmis, vt sincera tibi mente deuotus, & præsentis vitæ remedijs gaudeat, & futuræ. Per Christum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui peccantium animas non vis perire, sed culpas, contine quam meremur iram, & quam precamur super nos effunde clementiam: vt de mœrore gaudium tuæ misericordiæ consequi mereamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

AVres tuæ pietatis, quæsumus Domine, precibus nostris inclina, vt qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur, intercedentibus beatissima Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis Petro, & Paulo, beato Marco Euãgelista, & beato Gregorio Confessore tuo, atque Pontifice, miserationis tuæ gratia liberemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

ADesto supplicantibus nobis omnipotens Deus, & sperantes in tua misericordia, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, cœlesti protegas benignus auxilio. Per Christum Dominum. ℟. Amen.

Posteà fiat memoria de patrono illius Ecclesiæ per Antiphonam, Vers. & Orationem, & terminetur Oratio. Per Dominum nostrum. in fine cantetur Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Et hoc modo terminantur omnes processiones sequentes.

Si fuerint plures Ecclesiæ visitandæ, repetatur de suprapositis Antiphonis, Vers. & Orationibus. Si fuerint pauciores dimittantur aliqua de Antiphonis, Vers. & Orationibus, secundùm quod visum fuerit opportunum.

Ritus, & modus huius processionis obseruetur in Rogationibus, & in alijs processionibus sequentibus, nisi vbi aliud fuerit assignatum.

Anti-

Antiphonæ dicendæ in Ecclesijs, per quas processio transit, secundùm earum titulos.

De sanctissima Trinitate. Antiphona. Chorus.

GLoria tibi Trinitas, æqualis vna Deitas, & ante omnia secula, & nunc & in perpetuum.

Duo Clerici dicant ℣. quod etiam in sequentibus obseruetur.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus, & superexaltemus eum in secula.

Sacerdos dicit. Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Christum.

De sacratissimo Corpore Christi. Antiphona. Chorus.

O Sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Alleluia. Clerici.

℣. Panem cœli dedit eis alleluia.

℟. Panem Angelorum manducauit homo alleluia.

Sacerdos. Oremus. Oratio.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis.

De sancta Cruce. Antiphona. Chorus.

SAlua nos Christe Saluator per virtutem crucis, qui saluasti Petrum in mari, miserere nobis. Clerici.

℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.

℟. Quia per crucem tuam redemisti mundum.

Sacerdos. Oremus. Oratio.

DEus, qui vnigeniti filij tui pretioso sanguine viuificæ crucis vexillum sanctificare voluisti: concede quæsumus, eos, qui eiusdem sanctæ crucis gaudent honore, tua quoque vbique protectione gaudere. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De B. Virgine. Antiphona. Chorus.

SVb tuum præsidium confugimus sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris: sed à periculis cunctis libera nos semper virgo gloriosa, & benedicta. Clerici.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Sacerdos. Oremus. Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper vir-

ginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De Angelis. Antiphona. Chorus.

ANgeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates, virtutes cœlorum, laudate Dominum de cœlis, Alleluia.

Clerici.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Sacerdos. Oremus. Oratio.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumq. dispensas; concede propitius, vt à quibus tibi ministrãtibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De S. Ioanne Baptista. Antiphona. Chorus.

Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Clerici.

℣. Fuit homo missus à Deo. ℟. Cui nomen erat Ioannes.

Sacerdos. Oremus. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt familia tua per viam salutis incedat, & B. Ioannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum quẽ prædixit secura perueniat. Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dum processio procedit per Ecclesias, si habetur Antiphona, & Oratio propria de Sancto illius Ecclesiæ patrono, à Clericis ipsius Ecclesiæ præparentur, & cantentur: aliàs dicantur Antiphonæ, & Orationes de Communi Sanctorum secundùm eorum qualitates.

De Apostolis. Antiphona. Chorus.

EStote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum, Alleluia. Clerici.

℣. In omnem terram exiuit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Si fuerit vnius Apostoli Ecclesia. Sacerdos.

Oremus. Oratio.

BEati N. Apostoli tui Domine precibus adiuuemur, vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerint plures Apostoli. Oremus. Oratio.

DEus, qui nos, per beatos Apostolos tuos N. & N. ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: da nobis eorum gloriam sempiternam, & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De vno Martyre. Antiphona. Chorus.

ISte Sanctus pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petrã. Clerici.

℣. Gloria, & honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Si fuerit Pontifex. Sacerdos. Oremus. Oratio.

INfirmitatem nostram respice omnipotens Deus, & quia pondus propriæ actionis grauat, beati N. Martyris tui, atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Christum Dominũ nostrum. ℟. Amen.

Si fuerit solum Martyr. Oremus. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt interueniente beato N. Martyre tuo, & à cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De pluribus Martyribus. Antiphona. Chorus.

GAudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: & quia pro eius amore sanguinem suum fuderunt; ideo cum Christo exultant sine fine. Clerici.

℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Sacerdos. Oremus. Oratio.

BEatorum Martyrum, paritérq. Pontificum N. & N. nos quæsumus Domine merita tueantur, & eorum commendet oratio veneranda. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerint Martyres non Pontifices. Oremus. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui gloriosos Martyres N. & N. fortes in sua confessione cognouimus, pios apud te nostra intercessione sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De vno Confessore. Antiphona. Chorus.

SImilabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Clerici.

℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Si fuerit Pontifex. Sacerdos. Oremus. Oratio.

EXaudi quæsumus Domine preces nostras, quas in beati N. Confessoris tui, atque Pontificis commemoratione deferimus, & qui tibi dignè meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolue peccatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si non fuerit Pontifex. Oremus. Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, quas in beati N. Confessoris tui veneratione deferimus; vt qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus, eius qui tibi placuit precibus adiuuemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerit Abbas. Oremus. Oratio.

INtercessio nos quæsumus Domine beati N. Abbatis commendet, vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De vna Virgine. Antiphona. Chorus.

Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, Alleluia.

Clerici.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Si fuerit virgo, & Martyr. Sacerdos. Oremus. Oratio.

INdulgentiam nobis Domine beata N. virgo, & Martyr imploret, quæ tibi grata semper extitit, & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerit virgo, & non Martyr. Sacerdos. Oremus. Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster, vt sicut de beatæ N. Virginis tuæ commemoratione gaudemus; ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si non fuerit nec virgo, nec Martyr. Oremus. Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster, vt sicut de beatæ N. commemoratione gaudemus; ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De pluribus Virginibus. Antiphona. Chorus.

PRudentes Virgines, aptate vestras lampades, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Clerici.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam.

℟. Proximæ eius afferentur tibi.

Sacerdos. Oremus. Oratio.

DA nobis quæsumus Domine Deus noster sanctarum Virginum, & Martyrum tuarum N. & N. palmas incessabili deuotione venerari: vt quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequijs. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De benedictione segetum, seminum, satorum, & vinearum in festo sancti Marci Euangelistæ.

IN Litania maiori in festo S. Marci solet in aliquibus partibus processio declinare ad campos, & Sacerdos benedicere segetes, & alia sata: Tunc Parochus, siue Sacerdos illas benedicturus exiens cum processione seu cum Clericis in agrum cum cruce, & cereis, paratus superpelliceo, & stola, vel etiam pluuiali incipit Litaniam, sicut habetur suprà post septem Psalmos pœnitentiales, pag. 332. Et ea finita dicit.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

PIetatem tuam quæsumus omnipotens Deus, vt has primitias creaturæ, quas aëris, & pluuiæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis ✠ tuæ imbre perfundas: tribuas populo tuo de tuis muneribus

tibi

tibi semper gratias agere, vt à sterilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, vt egenus, & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus arbiter throni, qui molem terræ ex nihilo pendentem gubernas, & ad victum humani generis corporisq. sustentationem agros operibus excolere iussisti, misericordiam tuam supplices exoramus, vt quicquid in hos agros salubris seminis satum, atque plantatum est, respectu tuæ clementiæ prospicias, & aeris temperiem moderari digneris: vt resecato, atque absorpto omnium tribulorum, spinarumq. squalore, efficias fruges fœcundas, & ad maturitatem perfectam tribuas peruenire: vt nos famuli tui vberem tuorum donorum fructum cum gratiarum actione percipientes, debitas, atque acceptas nomini tuo laudes referre mereamur. Per Christum Dominum nostrum.

Oremus. Oratio.

TE Domine petimus, ac rogamus, vt hos fructus seminum, frugum, frumenti, siliginis, hordei, auenæ [ac aliorum cuiuscunque generis existant] tuis oculis serenis, hilariq. vultu respicere digneris. sicut enim testatus es Moysi famulo tuo in terra Aegypti, dicens: Dic filijs Israel cùm ingressi fuerint terram promissionis, quam eis daturus sum, vt primitias frugum offerant Sacerdotibus, & erunt benedictæ fruges: ita & nos oramus te Domine, vt auxilium gratiæ tuæ super nos, & has segetes, vt fructus te donante proferre valeant, benignè concedas, vt non grando surripiat, non turbo subuertat, nec vis tempestatis detruncet, nec aeris siccitas exurat, non inundatio pluuialis absorbeat, sed incolumes, & superabundantes propter vsum hominum ad plenissimam maturitatem perducere digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, mitte Spiritum sanctum tuũ cum Angelis, & Archangelis tuis, & cum eis omnes Sanctos, & electos tuos, vt defendant segetes nostras à vermibus malis, siue ab auibus, vt magnificetur nomen tuum Deus in omni loco. Per Dominum nostrum.

Tunc Sacerdos circumeat agrum, vel partem eius aspergendo aquam benedictam. Et posteà dicat.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat, & maneat super has segetes. ℟. Amen.

Posteà compleatur processio, sicut hoc loco notatur.

De processionibus in Litanijs minoribus, seu in tribus diebus earum, siue Rogationum ante Ascensionem Domini.

IN Litanijs minoribus, seu diebus Rogationum fiunt ordinariæ processiones ex antiqua consuetudine, & sanctorum Patrum institutione, de quibus Beda inter varios sermones De maiori Litania dicit: Post multum tempus (scilicet pestilentiæ & Litaniæ maioris) fuit magna mortalitas in ciuitate Viennensi. Erat autem Episcopus ciuitatis nomine Mamertus vir sanctus & bonus: & cùm faceret baptisterium in vigilia Paschæ, subitò descendit ignis de cœlo, & incendit Ecclesiam & medietatem ciuitatis, & mortalitas hominum ex vna parte erat, ex altera ignis, qui incendebat omnes villas & castella: & leones & lupi intrabant vicos & deuorabant homines. Tunc instituit S. Mamertus tres dies Rogationū, vt omnis populus, qui ibi erat, auxilium & misericordiam à Deo peteret, & vt eos defenderet à morte subitanea. Et nos precemur omnes Sanctos, vt pro nobis intercedant ad Deum, vt dignetur nobis dare remissionem peccatorū, & custodiat corpora, & animas nostras. Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

Et iterum in libello de officijs, tit. de Litania maiore, dicit:

Tres autem dies Rogationum, qui celebrantur ante Ascensionem Domini, iuxta morem Gallicanæ Ecclesiæ constituit S. Mamertus Viennen. Episcopus ob incursionem scilicet malarum bestiarum, quæ tunc temporis grauissimè afficiebant populum Dei. Quæ consuetudo apud nos vsque hodie pro diuersis calamitatibus deuotissimè colitur.

Et traditur in Ordine Romano, tit. de Litania maiore his verbis.

Tres autem dies Rogationum, qui celebrantur ante Ascensionem Domini, iuxta morem Gallicanæ Ecclesiæ constituit S. Mamertus Viennen. Episcopus ob incursionem scilicet malarum bestiarum, quæ tunc temporis grauissimè afficiebant populū Domini. Quæ consuetudo apud nos vsque hodie pro diuersis calamitatibus deuotissimè recolitur. Nullus autem his diebus vestimenta pretiosa induat; quia in sacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates, & comessationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ ducant choros, sed omnes in communi Kyrie eleison decantent, & cum contritione cordis Dei misericordiam exorent, pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conseruatione frugum, & pro cæteris necessitatibus: dies enim abstinentiæ sunt, non lætitiæ. Per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat. Et hoc triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur. Antiphonæ verò ad reliquias deducendas in libro Graduali, vel Antiphonario quærentibus occurrent per singulos tres dies.

Et Alcuinus de diuinis officijs tit. De diebus Rogationum itidem scribit:

Tres autem dies Rogationum, qui celebrantur ante Ascensionem Domini iuxta morem Gallicanæ Ecclesiæ constituit S. Mamertus Viennen. Episcopus, ob incursionem scilicet malarum bestiarum, quæ tunc temporis grauissimè afficiebant populū Dei. Nam cùm exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniretur, congregati traduntur Galliarum episcopi apud Viennam præcipuam Galliæ vrbem, qui in communi statuerunt, vt triduano ieiunio misericordiam Domini implorarent, antiquorum Patrum vestigia sequentes. Cumq. ad eorum preces oculus diuinæ pietatis respiciens, flagelli huius pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias ante Ascensionis diem celebrarentur: quę consuetudo apud nos vsque hodie pro diuersis calamitatibus deuotissimè recolitur.

S. Auius

S. Auius Episcopus Viennensis refert in quadam homilia, quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphũ celebramus, à Mamerto ipsius Viennensis vrbis Episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum vrbs illa multis terreretur prodigijs. Nam terræ motu frequenter quatiebatur: sed & ceruorum atque luporum feritas portas ingressa, per totam, vt scripsit, vrbem, nihil metuens oberrabat. Cumq. hæc per anni circulum gererentur, aduenientibus Paschalis solennitatis diebus, expectabat misericordiam Dei plebs tota deuotè, vt vel hic magnæ solennitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum Missarum celebrarentur solennia, subitò Palatium regale intramuraneum diuino igne succenditur: pauore omnibus perterritis, & Ecclesiam egressis, credentibus ne aut hoc incendio vrbs tota consumeretur, aut certè disrupta tellure dehisceret, sanctus Sacerdos prostratus ante altare cum gemitu & lacrymis Domini misericordiam imprecatur. Quid plura? Penetrauit excelsa poli oratio Pontificis inclyti, restinxitq. domus incendium flumen profluentium lacrymarum. Cumq. hæc agerentur, appropinquante Ascensione, vt iam diximus, maiestatis Dominicæ, indixit populis ieiunium, instituit orandi modũ, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoque exinde terrribus, per cunctas Prouincias dispersa facti fama, cunctos Sacerdotes imitari commonuit quod Sacerdos fecit ex fide, quæ vsque nunc in Christi nomine per omnes Ecclesias in compunctione cordis & contritione spiritus celebratur.

Hæc ex Gregorio Turonensi libro ij. historiarum sub num. xxxiiij.

Et de exemplo & vtilitate obseruationis tridui Rogationum sub Günthramno Rege scribit idem Gregorius Turonensis libro ix. historiarum nu. xxj.

Ipse autem Rex, vt sæpè diximus, in eleemosynis magnus, in vigilijs atque ieiunijs promptus erat: Nam tunc ferebatur Massilia à lue inguinaria valdè vastari; & hunc morbum vsque ad Lugdunensem vicum Octauum nomine fuisse celeriter propagatum. Sed Rex ac si bonus Sacerdos, prouidens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, iussit omnem populum ad Ecclesiam conuenire, & Rogationes summa cum deuotione celebrari: & nihil aliud in vsu vescendi, nisi panem hordeaceum cum aqua munda assumi, vigilijsq. adesse instanter omnes iubet: quod eo tempore ita gestum est. Per triduum enim ipsius eleemosynis largiùs solito præcurrentibus, ita de cuncto populo formidabat, vt iam tunc non Rex tantùm, sed etiam Sacerdos Domini putaretur, totam spem suam in Domini miserationem transfundens, & in ipso iactans cogitationes, quæ ei superueniebant &c.

Adon Episcopus Viennensis in Breuiario Chronicorum anno 396. De sancto Mamerto Episcopo Viennensi.

Mamertus Viennensis Episcopus insignissimus habetur, qui inter alia mirifica ob imminentem cladem, ante Ascensionem Domini solennes instituit Litanias.

Et anno 452.

Hoc tempore beatissimus Mamertus Viennensis Episcopus cladem imminentem lacrymis & precibus suis à Viennensium vrbe remouit. Siquidem incendia crebra, terræmotus assidui, nocturni sonitus quidam, totius vrbis funeri prodigiosum quiddam ac ferale minitantes, populosis hominum conuentibus domestica sylustrium ferarum species obuersabatur: lupi, vrsi, ac cerui naturaliter pauidi per angusta portarum vsque ad fori lata penetrabant. Quid multis? Imminente solennitate vigiliarum, qua celebrari festum Dominicæ resurrectionis annua consuetudo poscebat, Aedes publica, quam præcelso ciuitatis Viennensium vertici sublimitas in immensum fastigiata sustulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur nuntijs discriminis iucunditas solennitatis, pleno timoribus populo Ecclesia vacuatur. Omnes namq. similem facultatibus vel domibus proprijs casum de quadam præimminentis incendij arce metuebant. Perstitit tamen coram festiuis altaribus inuictus Antistes sanctus Mamertus, & calorem fidei suæ accendens flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit.

Desperatione deposita reditur ad Ecclesiam, in eaq. vigiliarum nocte sancti Paschæ concepit animo Rogationes, atque ibi cum Deo tacitus definiuit quicquid hodie Psalmis ac precibus mundus inclamat.

Ad hæc reliqui scriptores Ecclesiastici, vt Amalarius de Ecclesiasticis officijs libro j. de Litania maiore cap.xxxvij.

Sequitur vna varietas inter Octauas Paschæ & vigilias Pentecostes, hoc est ieiunium triduanum in vigilia Ascensionis Domini, Miror quomodò inoleuit consuetudo præsentis ieiunij in nostra Ecclesia, quæ tamen non tenetur per omnes Orientales Ecclesias, &c. Et paulò infrà.

A quo primò initium præsens ieiunium sumpsit, Gregorius Turonensis manifestat in gestis Francorum, ita dicens: In his temporibus fuit in Vienna vrbe terræmotus maximus, vbi multæ Ecclesiæ & domus multorum concussæ fuerunt, & subuersę; vbi bestiæ multæ oberrantes, lupi, vrsi acerbi ingressi per portam ciuitatis deuorantes plurimos per totum annum hoc faciebant. Nam veniente solennitate sancti Paschæ S.Mamertus, qui in ea vrbe erat Episcopus, dum Missarum solennia ipsa vigilia celebraret: Palatium quoque Regale, quod in ea ciuitate erat, diuino igne succensum est. Cumq. hæc agerentur, appropinquante Ascensione Domini indixit ieiunium vir sanctus Dei triduanum in populo, cum gemitu & contritione. Et paulò post. Tunc cessauit ipsa tribulatio & subuersio. Deinceps omnes Ecclesiæ Dei & Sacerdotes hoc exemplum imitantes vsque ad præsens ipsas triduanas Litanias vbique celebriter colunt.

Vualafridus de reb.Eccles.cap.xxviij. de Litanijs agendis. §.Triduanæ autem Litaniæ.

Triduanæ autem, inquit, Litaniæ, quæ proximis diebus ante Ascensionem Domini annuè per omnes Galliarum vel Germaniæ Ecclesias celebrantur, in Gallijs sunt constitutæ. Temporibus siquidem Clodouæi Regis Francorum, qui cum gente sua primus Christianus effectus est, dum ciuitas Viennensium crebro terræmotu subrueretur, & bestiarum desolaretur incursu, S.Mamertus eiusdem ciuitatis Episcopus eas legitur pro malis, quæ præmisimus ordinasse. Quas Aurelianen. Synodus & eo tempore iubet fieri, & ab opere seruili, vt pleniùs celebrentur, omnes vacare.

Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus cap.lvij. de Litanijs.

Triduanæ autem Litaniæ ante Ascensionem Domini non Romanæ sed Gallicanæ sunt: quia illas S.Mamertus Viennen.Episcopus instituisse legitur, quas sancti Patres non equitando, non vestibus pretiosis vtendo, sed in cinere & cilicio, sicut & maiorem Litaniam obseruari statuerunt. In quarum vltima die, idest in vigilia Ascensionis Domini cantatur officium, Vocem iucunditatis. Offertor. Viri Galilæi. Communio. Pater cùm essem.

Durandus libro vj. Rationalis cap.cij.

Minor verò Litania, quæ etiam Rogationes & processiones vocantur, fit tribus diebus ante Ascensionem, quæ sicut legitur in Burchardo lib.xiij. cap.Exigentibus. inuenta est apud Viennam à B. Mamerto Episcopo Viennensi, qui propter pestem luporum & aliarum ferarum in Gallijs acriter homines perimentium, & propter periculosos terræmotus illic crebrò contingentes, indixit populis ieiunium triduanum, & Litanias instituit. Cessante verò illa persecutione, ieiunium illud in consuetudinem annuæ obseruationis deuenit; & sicut quidam referunt, fuit per Ecclesiam confirmatum, vt vniuersaliter obseruaretur.

Quocirca Concilium Aurelianense primum cap.xxix. ita statuit.

Rogationes, idest Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicę Ascensionis solennitate soluatur: per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat. Quo triduo omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis vtantur.

Quod extat apud Gratianum de consecr.dist.iij.cap.iij. Rogationes.

Et ponitur à Burchardo lib.xiij.cap.vij. De ieiunio Rogationum, & ab Iuone par.iiij.cap.xl. vbi tribuũt dicto Concil.Aurelian.cap.vj.& sic ad verbũ referunt.

Cùm

Cùm exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniri posset, congregati traduntur Galliarum Episcopi ad Viennam vrbem, atque in communi statuerunt, vt triduanum ieiunium facerent. Cumq. Dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum Prouincias ante Ascensionis Domini diem celebrarentur. Agamus & nos hos dies cum summa reuerentia & deuotione, cum abstinentia carnis, & humilitate cordis, non vt visibilium luporum rabiem euadamus; sed vt inuisibilium, idest spirituum immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus vestimentis pretiosis induatur, quia in sacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & comessationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ choros ducant, sed omnes in communi Kyrie eleison decantent, & cum contritione cordis Dei misericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conseruatione frugum, & pro cæteris necessitatibus. Dies enim sunt abstinentiæ, non lætitiæ.

De processione in tribus diebus Rogationum, in quibus fiunt Litaniæ minores.

FEria ij. iij. & iiij. in Rogationibus conueniant Clerus secularis, & regularis, præsertim ex Ordinibus Mendicantium ad Ecclesiam hora competenti, & omnibus præparatis, cantetur Missa, Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. Alleluia. in Litanijs maioribus, & minoribus post Dominicam V. post Pascha, nisi cantanda sit in fine processionis. Et si sit eo die de festo, cantentur duæ Missæ, altera de Festo, & altera de Litanijs. & deinde incipiant Antiphonã. Oremus dilectissimi. vt in Litanijs maioribus, pag. 629. Qua cantata incipiatur Antiphona. Exurge Domine, eadem pag. 629. Et dicto à Diacono, Procedamus cum pace. & responso à choro, In nomine Christi. Amen. duo Clerici ante altare genuflexi incipiant Litaniam, Kyrie eleison &c. Choro prosequente, & cæteris præsentibus genuflexis, vsquequo dicatur. Sancte Petre, ora pro nobis. Et tunc omnes surgunt, & egreditur processio præcedentibus clericis cum thuribulis & cereis, & Subdiacono cum cruce, vt supra in Litania maiori, & finita Litania, illa resumitur, & dicuntur Antiphonæ & commemorationes Sanctorum, prout occurrit. Et processio deducitur quò destinata est, & omnia fiunt sicut in illa notatum est.

In aliquibus Ecclesijs solent portare imagines draconum, & luporum, vel aliarum ferarum super perticas, ad denotandum causam, quare instituta fuerit hæc processio in tribus diebus Rogationum.

In nonnullis Ecclesijs & Regionibus consueuerunt his diebus Rogationum benedici cruces cereæ, vt in Prouincia Terræ laboris, & affigi foribus domorum & ædium, & in portis ciuitatum, & castrorum.

Si processio egreditur ad campos & agros.

VBi autem consueuit processio egredi ad campos & agros, Sacerdos aspergat aquam benedictam per agros & vineas, & interim clerici

cantent Antiphonam. Rigans mõtes de superioribus suis. & Psal CIII. Benedic anima mea. ij. quæ Antiphona tota dicatur, & tota post Psal. repetatur. Antiphona.

RIgans montes de superioribus suis Dominus, de fructu operum tuorum satia terram, producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum, vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Psalm. Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementer &c. & repetita Antiphona, post Psalmum dicatur:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Dominus dabit benignitatem. ℟. Et terra nostra dabit fructum suum.

℣. Emitte spiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedicat ✠ nos Deus Deus noster, & terræ nostræ fructus vberes multiplicet, vt seminantes in gaudio seminent, & metentes in exultatione colligant manipulos, & te semper benedicant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus misericordiam tuam, vt benedicere & multiplicare digneris fines & fruges famulorum tuorum, sicut multiplicasti fruges Patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob, vt sit seruis tuis abundantia, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

CLementiam tuam omnipotens Deus supplices deprecamur, vt benedicere, & visitare, & irrigare digneris fruges, & fines seruorum tuorum, & vt defendas ab omni infestatione inimici, vt abundantiam benedictionis tuæ repleas eorum inopiam, & tibi semper laudes referant, qui das escas omni carni. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus. Oratio.

DEus cœli terræq. dominator te supplices exoramus, vt Angelum tuum mittere digneris, qui custodiat, & defendat fines, & fruges famulorum tuorum ab omni incursione inimici, vt abundantia benedictionis tuæ repleas eorum inopiam, & tibi semper laudes referant, vt hîc & in æternum per te salui esse mereantur. Per Christum Dominum nostrum.

Finitis prædictis orationibus in agris, procedant ad Ecclesiam, vbi finiri debet processio, & cantent omnia sicut suprà signatum est in Litania maiori. Cõpleta processione, & dicto Benedicamus Domino, & Deo gratias. Sacerdos deposito pluuiali accipiat planetam, & cantet Missam ferialem, vt in Missali, si non est cantata in principio.

De

De processione in festo sanctissimi Corporis Christi.

IN festo sacratissimi Corporis Christi fit vbique ordinaria & generalis processio solennis: induuntur Clerici & Religiosi sacris & sacerdotalibus vestibus pro qualitate Ordinum, & candelas seu cereos accipiunt in processione manibus vt deferant accensos.

Cùm in hac præsertim processione ob vanas præcedentiæ prætensiones inter aliquas Ecclesias vel Religiones, vel etiam laicorum Confraternitates variæ controuersiæ exoriri soleant, Domini Episcopi & Prælati pro eorum charitate & pastorali cura vigilent, vt omnia ordinatè & cum charitate fiant, & differentiæ huiusmodi non exoriantur, vel ijs occurratur; & omnes suo loco pro tanti Sacramenti reuerentia humiliter & deuotè incedant, cum omni animæ & corporis demissione, quiete, deuotione & pace, sublatis contentionibus & controuersijs pacatis.

Postquàm omnia fuerint benè ordinata, parata atque disposita ad processionem inchoandam, Diaconus vertit se ad populum & dicit: **Procedamus cum pace.** Et chorus respondet. **In nomine Christi. Amen.** & factis debitis reuerentijs, incensationibus, & alijs cæremonijs egreditur processio, & cantores incipiunt alta voce Hymnum. **Pange lingua gloriosi corporis mysterium.** in Vesperis, & chorus prosequitur sequendo processionem: & dicto Hymno completo cantant alios Hymnos de eodem festo Corporis Christi, vt, **Sacris solennijs iuncta sint gaudia.** in Matutinis, &, **Verbum supernum prodiens, Nec Patris linquens dexteram &c.** in Laudibus. Item legi vel cantari possunt Hymni de passione Domini, vt, **Vexilla Regis prodeunt &c.** in Vesperis. **Pange lingua gloriosi prælium certaminis &c.** in Matutinis. &, **Lustris sex qui iam peractis.** in Laudibus. Item Hymni de Ascensione Domini. **Iesu nostra redemptio, amor & desiderium.** in Vesper is & Laudibus. **Aeterne Rex Altissime.** in Matutinis.

Possunt etiam legi vel cantari Hymni Paschales, vel etiam aliqui Psalmi pro deuotione, vel Cantica, vt, **Benedictus Dominus Deus Israel &c.** &, **Magnificat anima mea Dominum.** & similia pro arbitrio, & distantia itineris. Vel etiam si voluerint, possunt recitare Litaniam ordinariam.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison, &c. vt suprà **pag. 332.** Et possunt seruari aliqua, quæ in alijs processionibus habentur, & huic congruunt.

Hoc autem obseruandum est, vt cùm Clerici vel Religiosi in processione procedentes transeunt ante sanctissimum Sacramentum, debeant genuflectere; & sic quando discedunt ab altari, supra quod positum est Sacramentum.

Et prædictis Hymnis, Psalmis, & memoratis canticis finitis, finitur etiam processio, & Sacramentum cum magna reuerentia & deuotione reponitur.

ponitur, si ibi reponendum est, vel reportatur, si reportandum est. In reditu autem ad Ecclesiam, ad quam finienda est processio, omnes Religiosi, & Clerici debent ordinare se in Ecclesia hinc inde, & expectare Sacramentum. Delato Sacramento in Ecclesiam, Sacerdos illud deferens procedit ad maius altare, vel ad portam chori, & vertit se ad Clerum & populum: qui omnes sint genuflexi versis vultibus ad Sacramentum, excepto Sacerdote, qui Sacramentum tenet, & tunc cantatur sequens Versus:

℣. **Panem de cœlo præstitisti eis, Alleluia.**

℟. **Omne delectamentum in se habentem, Alleluia.**

℣. **Dominus vobiscum.** ℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus. Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas.

℣. **Dominus vobiscum.** ℟. **Et cum spiritu tuo.**

℣. **Benedicamus Domino.** ℟. **Deo gratias.**

Tunc Sacerdos eleuans Sacramentum, cum ipso populum benedicit, & postmodùm illud reuerenter reponit & adorat, extinguuntur luminaria, & omnes in pace recedunt.

Sunt quædam processiones, quæ non egrediuntur de Ecclesia, vel eius continentibus, vt processio, quæ fit feria v. in Cœna Domini post Missam, qua defertur sanctissimum Sacramentum ad sepulchrum, vt reseruetur in crastinum: & alia in die Parasceues, quæ fit post adorationem crucis, & Sacramentum sanctissimæ Eucharistiæ de sepulchro, vel alio loco, vbi repositum fuerat, reportatur ad altare: & in ijs dicuntur, & seruantur omnia, quæ traduntur in Missali, & in Codice Cæremonialis Romani habentur; & ideo hic vt superflua de industria omittuntur.

Preces dicendæ in Litanijs tempore belli.

In Litanijs dicto Pater noster. Et ne nos. dicitur Psal. XLV. Deus noster refugium & virtus. cum Gloria Patri, in fine. Deinde.

℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine. ℟. Et armis tuæ potentiæ protege nos.

℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

OMnipotens & misericors Deus, à bellorum nos quæsumus turbine fac quietos: quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis & mentis & corporis.

PRotector noster aspice Deus, & propugnatores tuos ab hostium defende periculis, vt ab omnibus perturbationibus semoti liberis tibi mentibus seruiant.

DEus qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam; vt omnium inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

DEus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera; da seruis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Exaudiat nos Dominus. ℟. Et custodiat nos semper. ℟. Amen.

Si opportunum fuerit, poterit etiam cantari Responsorium.

Sustinuimus pacem, & non venit, quæsiuimus bona, & ecce turbatio: cognouimus Domine peccata nostra: Non in perpetuũ obliuiscaris nos.
℣. Peccauimus, impiè gessimus, iniquitatem fecimus Domine in omnem iustitiam tuam. Non in perpetuum obliuiscaris nos.

Si verò bellum est contra Turcas, & alios infideles, dicantur sequentes preces.

Inter preces Litaniarum, bis dicatur.

Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris. Te rogamus audi nos.
Dicto Pater noster, dicitur Psal. LXXVIII. Deus venerunt gentes. fer. v. in Matutinis, vel Psalm. LXXIX. Qui regis Israel. ibidem cum Gloria Patri. in fine deinde ℣. Saluos fac seruos tuos. vt supra, vsque ad ℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis. Deinde.
℣. Hostium nominis tui elide superbiam. ℟. Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.
℣. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt. ℟. Et in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.
℣. Fiant tanquam puluis ante faciem venti. ℟. Et Angelus Domini prosequatur eos.
℣. Mitte nobis auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Do-

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

OMnipotens sempiterne Deus, qui pretiosissimo sanguine dilectissimi Filij tui humanum genus redimere, ac per beatos Apostolos eius iacentem in tenebris mundum, ad Euangelij lucem erigere dignatus es: tribue quæsumus, vt aduersus impias infidelium gentes, cunctasq. barbaras nationes viuificæ crucis inimicas, fideles Christianorum Principes, & populi ita potenter arma suscipiant: vt pro tui nominis gloria militantes, virtutis tuæ brachio subleuati ad Ecclesiam tuam victricia signa reportent.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates & omnium iura regnorum: respice in auxilium Christianorum: vt gentes Turcarum seu Paganorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur.

DA quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus: vt sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris: aufer incredulitatem à cordibus infidelium: vt relictis superstitionibus suis conuertantur ad te Deum verum, & Ecclesiæ tuæ sanctæ aggregentur. Per Christum. ℟. Amen.

Aliæ preces in fine processionis, & Missæ contra Turcas & infideles.

ater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Exaudi Domine supplicum preces. ℟. Et confitentium tibi parce peccatis.

℣. Iudica Domine nocentes nos. ℟. Expugna impugnantes nos.

℣. Apprehende arma & scutum. ℟. Exurge in adiutorium nostrum.

℣. Eripe nos de manibus inimicorum nostrorum. ℟. Et de persequentibus nos.

℣. Confundantur & reuereantur qui quærunt animas nostras.

℟. Vt auferant eas.

℣. Conuertantur retrorsum, & reuereantur. ℟. Qui volunt nobis mala.

℣. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.

℟. Et in regna, quæ tuum nomen non inuocauerunt.

℣. Disperde illos in virtute tua. ℟. Et depone eos protector noster Dñe.

℣. Fiant tanquam puluis ante faciem venti. ℟. Et Angelus tuus persequens eos.

℣. Irruat super eos formido & pauor. ℟. In magnitudine brachij tui.

℣. Ho-

℣. Hostium nominis tui elide superbiam. ℟. Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.
℣. Non nobis Domine non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Plentissime Deus, qui iniquitatem ad te conuersorum non recordaris, sed eorum gemitus clementer exaudis: respice templa tua infidelium manibus profanata, & tui dilecti gregis afflictionem: reminiscere hæreditatis tuæ effusione pretiosissimi sanguinis vnigeniti tui acquisitæ: vineam tua plantatam dextera, quam ferus aper exterminare conatur, clementer visita, ac illius cultores aduersus deuastantium rabiem tua virtute corrobora, victores effice, in eaq. benè operantes tui fac regni possessores. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aliæ preces in fine processionis & Litaniarum contra hæreticos & contra Turcas simul.

Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Saluos fac nos Deus. ℟. Quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animas nostras.
℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. ℟. Et fugiant qui oderunt eum à facie eius.
℣. Da nobis auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Ad nihilum redige inimicos nostros. ℟. Qui derelinquunt nomen tuum Domine.
℣. Contere eos qui nos opprimunt. ℟. Qui gloriantur in superbia sua.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filij iniquitatis non apponant nocere nobis.
℣. Respice Domine ad humilitatem nostram. ℟. Et conuerte luctum nostrum in gaudium.
℣. Exurge Domine adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Fiat misericordia tua Domine super nos. ℟. Quemadmodum sperauimus in te.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum quæsumus, ad te conuerte propitius; vt dum tibi deuotus

uotus exiſtit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoueas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Aliæ orationes.

DEus, qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentium non ſpernis affectum: adeſto precibus noſtris, quas tibi pro tribulatione noſtra effundimus, eaſq. clementer exaudi: vt quicquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur aduerſitates ad nihilum redigatur, & conſilio tuæ pietatis allidatur; quatenus nullis aduerſitatibus læſi; ſed de omni tribulatione & anguſtia erepti in Eccleſia tua tibi gratias referamus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes, & neminem vis perire: reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæretica prauitate depoſita, errantia eorum corda reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant vnitatem.

OMnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum: reſpice in auxilium Chriſtianorum, vt gentes Paganorum ſeu Turcarum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur.

HOſtium noſtrorum quæſumus Domine elide ſuperbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne.

ECcleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte: vt deſtructis aduerſitatibus & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Diuinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

Aliæ preces contra Turcas & hæreticos.

PRimò à Prælato, vel Priore Eccleſiæ incipitur Hymnus de Spiritu ſancto proſequentibus Cantoribus.

Veni creator Spiritus, mentes tuorum viſita, imple ſuperna gratia &c. vſque in finem.

COngregati ſunt inimici & gloriantur in felicitate ſua, contere fortitudinem illorum Domine, & diſperge illos, vt cognoſcant quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter.

Deinde dicitur Pſal. LXXVIII. in Matutin. feriæ v.

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum &c. vſque in finem.

His finitis, ante altare maius, omnibus genuflexis, incipiantur Litaniæ: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon &c. & circa finē poſt ℣

Vt noſmetipſos in tuo ſancto ſeruitio confortare & conſeruare digneris, Te rogamus audi nos. dicitur.

Vt Eccleſiæ tuæ ſanctæ fidem propagare, & tranquillam pacem concedere digneris, Te rog.

Vt omnes Eccleſiæ tuæ hoſtes comprimere digneris, Te rog.

Vt

Vt Christianos tuos vbique protegere, & super infideles exaltare digneris. Te rog.

Vt infideles omnes illuminare, & ad sanctam fidem tuam conuertere digneris. Te rog.

Vt cuncto populo Christiano pretiosissimo sanguine tuo redempto veram concordiam, & contra infideles, & tui nominis inimicos victoriam largiri digneris. Te rog.

Vt omnes hæreticos ab erroribus suis & omni cæcitate reuocare, & ad vnitatem fidei reducere digneris. Te rog.

Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas. Te rog.

Vt fructus terræ dare & conseruare digneris. *& reliqui Versus.*

Quibus finitis, surgat Sacerdos & dicat. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
℟. In æternum & in seculum seculi.
℣. Exurge Christe adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Perpetua nos Domine pace custodi.
℟. Quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignatus es.
℣. Concede Domine populo tuo, vt sit ei anima vna, & cor vnum.
℟. In obseruatione mandatorum tuorum.
℣. Illumina mentes hæretica prauitate depressas.
℟. Vt vnam sanctam Catholicã & Apostolicam Ecclesiam confiteantur.
℣. Hostium nominis tui elide superbiam.
℟. Et eorum proteruiam dexteræ tuæ potentia prosterne.
℣. Hæreticorum omnium corda proscinde.
℟. Et sensus eorum ad lumen tuæ fidei conuerte.
℣. Mitte nobis auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Non nobis Domine non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus, qui saluas omnes & neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas; vt omni hæretica prauitate deposita, errantium corda resipiscant, & Spiritus sancti lumine illustrati, ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Oratio.

DEus, qui pretiosissimo sanguine dilecti filij tui humanum genus redimere, ac per beatos Apostolos eius, iacentem in tenebris mundum ad Euangelij lucem dirigere dignatus es: tribue quæsumus, vt aduersus impias Turcarum & hæreticorum gentes, cunctasq́. Nationes viuificæ crucis inimicas, fideles Christianorum Principes & populi, omnibus hæreticorum abiectis erroribus, in vinculo charitatis & pacis ita vniantur, & ita potenter arma suscipiant, vt pro tui nominis gloria militantes, virtutis tuæ brachio subleuati, ad Ecclesiam tuam victricia signa reportent. Per eundem Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

Missa

Missa deinde celebrabitur de Spiritu sancto, tres orationes dicentur vt infra, & prima de Spiritu sancto.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum.

Secunda pro hæreticis.

QVæsumus omnipotens Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire; respice &c. vt suprà.

Tertia contra Paganos.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum; respice in auxilium Christianorum, vt gentes Paganorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Dominum.

Preces dicendæ in fine processionis pro liberatione Terræ sanctæ de manibus infidelium, & aliorum fidei Christianæ, & Catholicæ inimicorum.

SAcerdos ante Missam genibus flexis ante medium altaris intonat Psalm. LXXVIII. Deus venerunt gentes. in Psalterio feria v. & chorus respondet, & prosequitur totum cum Gloria Patri. Posteà dicit Sacerdos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Exurge Domine & dissipentur inimici tui. ℟. Et fugiant à facie tua qui oderunt te.

℣. Saluum fac populum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.

℣. Oremus pro afflictis & captiuis, ac peregrinis Christianis.

℟. Libera eos de omnibus tribulationibus eorum.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui admirabili prouidentia cuncta disponis, te supplices exoramus, vt terram, quam vnigenitus filius tuus Dominus noster Iesus Christus proprio sanguine consecrauit, de manibus inimicorum crucis eripiens, restituas cultui Christiano, vota fidelium ad eius liberationem instantium misericorditer dirigendo in viam salutis æternæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Aliæ orationes.

Protector noster aspice Deus, & fideles tuos, in Terræ sanctæ recuperatione pugnantes, ab hostium defende periculis: vt ab omni perturbatione semoti libera tibi mente deseruiant.

Hostium nostrorum, quæsumus Domine, elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Posteà surgit & incipit Missam.

Possunt etiam cantari sequentia Responsoria primæ Dominicæ Octobris pro Antiphonis, cum notis.

℟. Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua. Contere fortitudinem illorum Domine, & disperge illos: vt cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Disperge illos in virtute tua, & destrue eos protector noster Domine. Vt cognoscant. Gloria Patri. Vt cognoscant.

℟. Impetum inimicorum ne timueritis; memores estote quomodò salui facti sunt patres nostri. Et nunc clamemus in cœlum, & miserebitur nostri Deus noster.

℣. Mementote mirabilium eius, quæ fecit Pharaoni & exercitui eius in mari rubro. Et nunc clamemus. Gloria Patri. Et nunc clamemus.

℟. Congregatæ sunt gentes in multitudine, vt dimicent contra nos, & ignoramus quid agere debeamus. Domine Deus ad te sunt oculi nostri, ne pereamus.

℣. Tu scis quæ cogitant in nos: quomodò poterimus subsistere ante faciem illorum, nisi tu adiuues nos? Domine Deus ad te sunt oculi nostri ne pereamus. Gloria Patri. Domine Deus ad te sunt oculi nostri, ne pereamus.

℟. Aperi oculos tuos Domine, & vide afflictionem nostram. Circumdederunt nos gentes ad puniendum nos: sed tu Domine extende brachium tuum & libera animas nostras.

℣. Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbiam, & custodi partem tuam. Sed tu Domine. Gloria Patri. Sed tu Domine.

Preces dicendæ in processione ad extirpandas hæreses.

Dicuntur Litaniæ cum Psalmo LXIX. Deus in adiutorium meum intende. vel Psal. LXXIIII. Confitebimur tibi Deus. & ℣. Saluos fac. cum reliquis, vt in Litanijs communibus. Et dicto ℣. Domine non secundùm peccata &c. Neque secundùm iniquitates &c. dicitur.

℣. Illumina mentes hæretica prauitate depressas.

℟. Vt vnam sanctam Catholicam & Apostolicam fidem confiteantur.

℣. Hæreticorum omnium corda proscinde.

℟. Et sensus eorum ad lumen tuæ fidei conuerte.

℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, vt nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat.

ECcleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte, vt deſtructis aduerſitatibus & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidaſti.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes, & neminem vis perire; reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæretica prauitate depoſita, errantium corda reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant vnitatem.

AScendant ad te Domine preces noſtræ, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poteſt etiam cantari ℟. Congregati ſunt inimici noſtri, vt ſuprà.

Tempore ſchiſmatis.

IN Litanijs omnia dicuntur vt ſuprà tempore belli, & in precibus poſt ℣. Domine non ſecundùm peccata &c. dicuntur ſequentes verſus:

℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam poſſediſti ab initio.
℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur auerte.

ECcleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte, vt deſtructis aduerſitatibus & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate.

DEus, qui errata corrigis, & diſperſa congregas, & congregata conſeruas: quæſumus ſuper populum Chriſtianum tuæ vnionis gratiam benignus infunde: vt diuiſione reiecta, vero paſtori Eccleſiæ tuæ ſe vniens, tibi digne valeat famulari.

DEus largitor pacis & amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam: vt ab omnibus, quæ nos pulſant tentationibus liberemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Pro concordia Principum Christianorum & pace obtinenda.

DIcuntur Litaniæ, & in ipsis dicitur, Vt Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, & repetitur. Et in precibus post ℣. Domine non secundùm peccata nostra, &c. dicitur.

℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

EXaudi quæsumus Domine supplicum preces, & confitentiũ tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacẽ.

DA nobis quæsumus Domine, vt & mundi cursus pacificè nobis tuo ordine dirigatur, & Ecclesia tua tranquilla deuotione lætetur.

DEus largitor pacis & amator charitatis, da Principibus Christianis veram cum tua voluntate concordiam, vt tranquillam & quietam vitam agamus, & ab omnibus, quæ nos pulsant, tentationibus liberemur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul & terrena moderaris: supplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam nostris concede temporibus.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per.

Tempore mortalitatis & pestis.

IN Litaniarum precibus post ℣. Domine non secundùm peccata nostra, dicuntur.

℣. Adiuua nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.
℣. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.
℟. Citò anticipẽt nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.
℣. Ora pro nobis beate Sebastiane.
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Dicta oratione, vt in Litanijs Deus qui culpa offenderis, suprà pag. 646. dicuntur etiam sequentes orationes.

PArce Domine parce populo tuo, vt dignis flagellationibus castigatus in tua miseratione respiret.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & animarum ac corporum medere languoribus; vt remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur.

DA nobis quæsumus Domine piæ supplicationis effectum, & pestilentiam, mortalitatemq. propitiatus auerte; vt mortalium corda cognoscant, à te indignante talia flagella prodire, & te miserãte cessare.

EXaudi nos Deus salutaris noster, & intercedẽte beata & gloriosa Dei genitrice Maria semper virgine, & beato Sebastiano martyre tuo, & omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & misericordiæ tuæ fac largitate securum. Per Christum &c.

Tempore penuriæ & famis.

IN Litanijs bis dicitur ℣. Vt fructus terræ dare & conseruare digneris. Te rogamus audi nos. & in precibus post ℣. Domine non secundùm peccata nostra, dicitur.

℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende, vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus in quo omnium sperant oculi, in te sperantibus largitatis tuæ nobis dona concede; vt quos temporaliter corripis, temporalibus non destituas alimentis.

POpulum tibi subditum pro peccatis suis inedia fameq. laborantem ad te Domine conuerte propitius, qui quærentibus regnum tuum omnia adijcienda esse dixisti. Qui viuis & regnas.

Ad petendam pluuiam tempore siccitatis.

IN Litanijs in obsecrationibus bis dicitur, Vt congruentem pluuiam fidelibus tuis concedere digneris. Te rogamus audi nos. & post ℣. Domine non secundùm peccata nostra &c. dicitur oratio. Deus qui culpa offenderis, suprà pag. 646.

DEus in quo viuimus, mouemur & sumus, pluuiam nobis tribue congruentem: vt præsentibus subsidijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiùs appetamus.

DA nobis quæsumus Domine pluuiam salutarem, & aridam terræ faciem fluentis cœlestibus dignanter infunde. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

TErram tuam Domine, quam videmus nostris iniquitatibus tabescentem, cœlestibus aquis infunde, atque irriga beneficijs gratiæ sempiternæ.

OMnipotens sempiterne Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire: aperi fontem benignitatis tuæ, & terram aridam aquis pluuiæ cœlestis dignãter infunde. Per Christum Dominum nostrũ. ℟. Amen.

Ad

Ad petendam serenitatem tempore nimiæ pluuiæ.

IN Litaniarum precibus seu obsecrationibus bis dicatur. Vt fidelibus tuis serenitatem concedere digneris &c. & post ℣. Domine non secundùm peccata nostra &c. dicitur.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur auerte. Et deinde.

AD te Domine clamantes exaudi, & aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus; vt qui pro peccatis nostris iustè affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam sentiamus.

QVæsumus omnipotens Deus, vt inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem tui vultus nobis impartiri digneris. Per.

DEus, qui omnium rerum tibi seruientium naturam per ipsos motus aeris ad cultum tuæ maiestatis instituis; serenitatem & tranquillitatem misericordiæ tuæ nobis remotis imbribus largiaris: vt cuius iram expauimus, clementiam sentiamus.

DOmine Deus, qui mysterio aquarum salutis tuæ nobis Sacramenta sanxisti, exaudi orationem populi tui, & iube terrores inundantium cessare pluuiarum, flagellumq́. huius elementi ad effectum tui conuerte mysterij, vt qui se regenerantibus aquis gaudent renatos, gaudeant his castigantibus esse correctos. Per.

Ad fugandam tempestatem.

IN Litanijs bis dicitur: A fulgure & tempestate. & post ℣. Domine non secundùm peccata nostra &c. dicitur.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur auerte.

ADomo tua quæsumus Domine spirituales nequitiæ repellantur; vt aerearum discedat malignitas tempestatum.

OMnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus; vt post noxios ignes nubium, & vim procellarum, in misericordiam transeat laudis, comminatio tempestatum.

DOmine Iesu, qui imperasti ventis & mari, & facta fuit tranquillitas magna, exaudi preces familiæ tuæ, & præsta vt hoc signo sanctæ crucis ✠ omnis discedat sæuitia tempestatum.

OMnipotens & misericors Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conseruas: præsta supplicibus tuis; vt & tranquillitatibus optatæ cõsolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper vtamur. Per.

Potest etiam dici aliqua coniuratio & exorcismus contra turbines & tempestates ex ijs, quæ habentur post exorcismos Dæmoniacorum infrà *in fine.*

Tempore pestis animalium.

In Litanijs post orationem.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur auerte. Dicitur oratio.

DEus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus solatia surrogasti: suppliciter te rogamus, vt sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias vsibus non perire.

AVerte Domine quæsumus à fidelibus tuis cunctos miseratus errores, & sæuientium morborum repelle perniciem: vt quos meritò flagellas deuios, foueas tua miseratione correctos. Per Christum &c.

Si Litaniæ dicuntur pro infirmis, vel pro insigni aliqua persona ægrotante, post Psalmum. Deus in adiutorium. dicuntur sequentes versus, & orationes.

℣. Saluum fac seruum tuum, vel ancillam tuam.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxiliũ de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum, vel eam.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram; vt nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absoluat.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium, vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actionem.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium; auxilij tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adiutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Preces dicendæ sede vacante.

QVoniam iuxta constitutionem fel. rec. Gregorij Papæ X. in Concilio Lugdunẽsi, quæ incipit: Vbi periculum. celebratis exequijs summi Põtificis, singulis diebus donec Ecclesiæ de Pastore prouideatur, humiles ad Deum preces fundendæ sunt, & apud eum deuotis orationibus insi-

insistendum: Ideo quotidie propria Missa celebretur pro electione futuri Pontificis, vel de Spiritu sancto, nisi Dominica fuerit, vel festum duplex, in quibus commemoratio tantùm fiat pro electione Pontificis: & publicæ fiant processiones, in quibus Litaniæ & Preces dicantur vt infrà. In Litanijs, quæ dicuntur sede vacante, vbi dicitur. Vt Domnum Apostolicum &c. dicatur. Vt Collegium S. R. E. Cardinalium, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione cõseruare digneris. & in Precibus post ℣. Domine non secundùm peccata &c.

℟. Neque secundùm iniquitates &c. dicitur.

℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.

℣. Mitte nobis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

MEntes nostras quæsumus Domine Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere; vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

SVpplici Domine humilitate deposcimus, vt sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ concedat Pontificem illum tua immensa pietas, qui & pio in nos studio semper tibi placitus, & tuo populo pro salubri regimine sit assiduè ad gloriam tui nominis reuerendus.

OMnipotens sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur: exaudi nos pro electione summi Pontificis supplicantes, vt Christiana plebs tali gubernatore gaudeat, sub quo credulitatis suæ meritis augeatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Potest etiam pro electione Papæ dici Hymnus.

VEni creator spiritus, Mentes tuorum visita, Imple superna gratia, Quæ tu creasti pectora.

Qui paraclitus diceris, Donum Dei altissimi, Fons viuus ignis charitas, Et spiritalis vnctio.

Tu septiformis munere, Dextræ Dei tu digitus, Tu ritè promissum patris, Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus, Infunde amorem cordibus, Infirma nostri corporis, Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longiùs, Pacemq. dones protinus, Ductore sic te præuio, Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem, Noscamus atque Filium, Te vtriusque spiritum, Credamus omni tempore.

Gloria Patri Domino, Natoq. qui à mortuis, Surrexit ac Paraclito, in seculorum secula. Amen.

℣. Emitte spiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.

Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur: exaudi nos pro vniuersis ordinibus supplicantes, vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter seruiatur.

Deus, qui corda fidelium, &c. &

Actiones nostras quæsumus Domine &c. vt suprà.

Quoniam etiam iuxta decretum Concilij Tridentini, quod incipit. Si in quibuslibet. sess. xxiiij. cùm primum Cathedralis Ecclesia vacauerit, supplicationes, ac Preces publicæ per Ciuitatem, & Diœcesim sunt indicendæ: ideo tunc quotidie Missa dicatur de Spiritu sancto, & Preces fiant vt suprà. Sed vbi in quarta oratione dicitur: Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, dicatur huic Ecclesiæ. & in quinta oratione, vbi habetur summi Pontificis, dicatur nostri Antistitis.

Preces dicendæ tempore Concilij generalis.

Tempore Concilij generalis Dominica & feria v. fiant processiones circa Ecclesiam, & in Litanijs post illa verba: Vt Domnum Apostolicum &c. dicitur: Vt sanctam Synodum, & omnes gradus Ecclesiasticos in ea congregatos regere, adiuuare, & conseruare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Et post illa verba. Oremus pro Pontifice nostro N. ℟. Dominus conseruet, &c. dicitur,

℣. Oremus pro sacrosancta Synodo in tuo nomine congregata.

℟. Dominus dirigat & regat eam ad vtilitatem nostram & Ecclesiæ suæ sanctæ.

℣. Memento Congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio. & post orationem. Deus à quo sancta desideria &c. vt suprà, dicuntur sequentes orationes.

Mentes nostras quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine, preces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur: exaudi nos pro vniuersis ordinibus supplicantes: vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter seruiatur.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti.

Da quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Christum &c.

Eodem

Eodem modo fieri possunt supplicationes, quando fit Synodus Prouincialis aut Diœcesana, excepta oratione. Da quæsumus, quæ dicitur vt infrà.

DA quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt Spiritu sancto congregata, secura tibi deuotione seruire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alius ordo habendi supplicationes, processiones, vel Litanias tempore Concilij generalis, quemadmodùm seruatum est Romæ in Ecclesia Lateranensi, & Basilica Principis Apostolorum de Vrbe pendente sacro generali Concilio Tridentino, anno præsertim M. D. LXII.

OMnes Canonici, Presbyteri, Beneficiati, & Clerici de Capitulo vel Clero induuntur cottis seu superpelliceis, & conueniunt in choro ante altare maius, & Prælatus, seu Presbyter celebraturus indutus stola & pluuiali præcedentibus de more Acoluthis, Thuriferario, & Ceroferarijs, & Subdiacono cum cruce, vbi processerint ad altare, celebrans, incipit Hymnum. Veni creator spiritus, suprà pag. 657. cæteris prosequentibus. Quo finito, duo vel tres Cantores, vel ex alijs Presbyteris, seu Clericis incipiunt Litanias: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. & deinde more solito surgunt, & omnes prosequuntur, & processionaliter incedunt circumcirca Ecclesiam intus, vel etiam foris, & redeunt ante idem altare maius: quò reuersis omnibus, & dictis dicendis vsque ad Preces exclusiuè genibus flexis, dicit Prælatus seu celebrās pluuiali indutus. Pater noster. & dicitur secretò. Deinde:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
℟. Et in æternum & in seculum seculi.
℣. Exurge Christe adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Perpetua nos Domine pace custodi.
℟. Quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignatus es.
℣. Concede Domine populo tuo, vt sit ei vna anima & cor vnum.
℟. In obseruatione mandatorum tuorum.
℣. Illumina mentes hæretica prauitate depressas.
℟. Vt vnam sanctam Catholicā & Apostolicam confiteantur Ecclesiam.
℣. Hostium nominis tui elide superbiam. ℟. Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.
℣. Hæreticorum omnium corda proscinde.
℟. Et sensus eorum ad lumen tuæ fidei conuerte.
℣. Mitte nobis auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Non nobis Domine non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

ECclesiæ tuæ quæsumus Domine preces placatus admitte: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus: prætende super famulos tuos, & super Congregationes illis commissas spiritum gratiæ salutaris: & vt in veritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

OMnipotens sempiterne Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæretica prauitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Per Dominum.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Fit autem hæc processio singulis Dominicis diebus & quintis ferijs pendente generali Concilio.

Preces dicendæ in Litanijs ad agendas Deo gratias pro aliquo publico beneficio.

INitio processionis incipitur Hymnus. Te Deum laudamus, & procedendo dicitur totus: Deinde Hymnus. Iesu nostra redemptio, de Ascensione Domini, & de Spiritu sancto, de Trinitate, de sancta Maria, de Angelis. Item si processio sit prolixa, Hymnus. Christe redemptor. vt in festo omnium Sanctorum, & Hymnus de Apostolis. Item Hymni, qui eo tempore dici solent, vt tempore Paschali de Resurrectione, à Natiuitate vsque ad Purificationem de Natiuitate. Item Psal. Iubilate Deo omnis terra: seruite &c. Laudate Dominum de cœlis, &, Laudate Dominum omnes gentes. Item, Magnificat. Nunc dimittis. &, Benedictus. Deinde in Ecclesia vbi fit statio, ante altare dicuntur sequentes versus, & orationes.

℣. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.
℟. Et laudabilis & gloriosus in secula.
℣. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu.
℟. Et laudemus, & superexaltemus eum in secula.
℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli.
℟. Et laudabilis & gloriosus in secula.

℣. Non

℣. Non nobis Domine non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo tuo ſancto, quod eſt in Hieruſalem.
℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi.
℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.
℣. Dignare me laudare te virgo ſacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMni potens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem: quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

DEus, qui Virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares eligere dignatus es: da quæſumus, vt ſua nos defenſione munitos, iucundos facias ſuæ intereſſe commemorationi.

DEus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumq. diſpenſas: concede propitius, vt à quibus tibi miniſtrãtibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab ijs in terra vita noſtra muniatur.

DEus, qui nos per beatos Apoſtolos tuos ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti: da nobis eorum, & omnium Sanctorum tuorũ gloriam ſempiternam, & proficiendo celebrare, & celebrando proficere.

DEus, cuius miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, pijſſimæ maieſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes: vt qui petentibus poſtulata concedis; eoſdem non deſerens ad præmia futura diſponas.

DEus, qui neminem in te ſperantem nimium affligi permittis; ſed pium precibus præſtas auditum: pro poſtulationibus noſtris, votisq. ſuſceptis gratias agimus, te, pijſſime, deprecantes, vt à cunctis ſemper eripiamur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Preces dicendæ quando inſigne aliquod bonum opus eſt inchoandum.

Hymnus. Veni creator ſpiritus. Deinde:
℣. Saluos fac ſeruos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Mitte nobis Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Emitte

℣. Emitte spiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.
℣. Non nobis Domine non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

MEntes nostras quæsumus Domine Paraclitus, qui à te procedit, illuminet; & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

TVa nos quæsumus Domine gratia semper & præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.

DIrigat corda nostra quæsumus Domine tuæ miserationis operatio: quia tibi sine te placere non possumus.

DEus in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris: & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas: præsta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequendis mandatis tuis & voluntate tibi & actione placeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Preces dicendæ in principio & fine alicuius Capituli, vel Congregationis, Collegij siue Confraternitatis, vbi certæ assignatæ non sunt.

In principio.

Antiphona. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Emitte spiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.
℣. Memento Congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

MEntes nostras, quæsumus Domine, lumine tuæ claritatis illustra: vt videre possimus quæ agenda sunt, & quæ recta sunt agere valeamus.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum &c.

In fine.

Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

PErfice quæsumus Domine benignus in nobis obseruantiæ sanctæ subsidium, vt quæ te auctore facienda cognouimus, te operante impleamus.

AGimus tibi gratias omnipotens Deus, precamurq. clementiam tuam, vt quicquid offensionis in actionibus nostris contraximus, te miserante indulgentiam consequamur.

PRætende Domine famulis tuis dexteram cœlestis auxilij: vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde pro defunctis dicatur Psal. CXXIX. De profundis clamaui ad te Domine, &c. Requiem æternam dona eis Domine: Et lux perpetua luceat eis. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus veniæ largitor & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, vt nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc seculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per Christum Dominum &c.
℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Animæ ipsorum & omnium fidelium defunctorum per pijssimam misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Confessio generalis, quæ fit Dominicis & solennibus diebus intra Missarum solennia.

PArochus Dominicis & solennibus diebus facto sermone post Euangelium, & quando non facit sermonem, facto offertorio in Epiphania annuntiat festa mobilia totius anni: immobilia verò singulis Dominicis diebus; ieiunia & vigilias, ac alia multa per hebdomadam occur-

occurrentia. Item denuntiat matrimonia contrahenda, aliasq. monitiones generales pro tempore occurrentes, lingua vernacula; & dicit:

Faciatis vobis signum sanctæ Crucis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Ego confiteor Deo omnipotenti, gloriosæ Virgini Mariæ, sancto Michaeli Archangelo, sancto Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro, & Paulo, sancto N. vel sanctis N. N. (hic nominat Sanctum, vel Sanctos titulares, vel patronos Ecclesiæ aut loci) omnibus sanctis Dei, & vobis Pater, qui statis ex parte sua, dico meam culpam, quòd grauiter peccaui in decem præceptis diuinæ legis, ea non obseruando vt fidelis & perfectus Christianus: in septem operibus misericordiæ spiritualibus, & septem corporalibus, in tribus virtutibus Theologalibus, & quatuor Cardinalibus: dico etiam meam culpam me peccasse in septem peccatis capitalibus, id est, superbia, ira, inuidia, auaritia, gula, luxuria, & acedia: in quinque sensibus corporis, id est, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu. Horum & quorumcunque peccatorum quæ fecerim malè cogitando, malè dicendo, & malè operando, corde, ore, & opere omittendo, vel committendo contra Deum, animam meam, & proximum meum, ab hora qua recepi aquam sancti Baptismi, vsque in præsentem horam me pœnitet, & sum dolens, & dico meam culpam & maximam culpam, & recurro ad infinitam Dei misericordiam, qui scit omnia peccata mea abscondita & manifesta, vt ea mihi remittere dignetur, itemq. recurro ad te Pater, vt ores Deum pro me.

Tunc Sacerdos eleuata manu dextera super populum, dicat:

Parcat vobis Deus. Deinde lingua vernacula prosequatur.

Quilibet vestrum dicat ter Pater noster, & ter Aue Maria, videlicet semel pro peccatis vestris, semel pro fidelibus defunctis, ijs præsertim, qui sunt in hac Ecclesia vel cœmeterio sepulti; & semel pro propagatione sanctæ fidei Christianæ & Catholicæ, ac pro tranquillitate & pace sanctæ Matris Ecclesiæ. Deinde Latinè dicat:

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum, emendationem vitæ, & obseruantiam mandatorum suorum, vitã sanctam, & exitum beatum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen. Posteà similiter vulgari idiomate dicat:

Omnia bona opera quæ fecistis tam hodierno manè veniendo ad Ecclesiam & interessendo diuinis, quàm alia quæcunque, & quæ facietis in futurum, & omnes tribulationes & aduersa, quæ patienter sustinuistis, & sustinebitis pro amore Dei, sint in remissionem vestrorum peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Remissionem autem, quam hodierno manè consecuti estis, Dominus Deus vobis concedat in cœlis, sicut ego vobis eam annuntio in terris.

De processione seu visitatione tumulorum in die commemorationis omnium defunctorum, ubi fieri consueuit.

IN aliquibus Ecclesijs mos est in anniuersario die omnium fidelium defunctorum processionem fieri per cœmeterium & Ecclesiam, & visitari tumulos defunctorum, & in eis varias preces & orationes fundi pro animabus in eis sepultorum, & alijs pro varia consuetudine Ecclesiarum & locorũ, quæ vbi certæ non habentur, poterit hic ordo seruari.

Cantata seu finita Missa, Prælatus seu Sacerdos celebrans deponit manipulum & planetã, & accipit pluuiale nigri coloris. Et si est Episcopus vel superior Prælatus, qui celebrauit in Pontificalibus, præter manipulum & planetam, potest etiam deponere dalmaticam & tunicellam, & similiter accipit pluuiale nigrum, & mitram simplicem, si ea vtatur. Subdiaconus paratus etiã cum tunicella plicata eiusdem coloris, cum qua ministrauit in altari, accipit crucem processionalem, vnus Acoluthus accipit thuribulum cum igne, & nauiculam cũ thure & cochleari, alius Acoluthus accipit vas aquæ benedictæ cum aspersorio & duo alij Acoluthi accipiunt duo candelabra cum cereis seu luminaribus ardentibus, & exeunt processionaliter cœmeterium versùs, si in eo tantùm sint mansiones vel sepulturæ, in quibus sunt faciendæ commemorationes: vel si sint in Ecclesia, illam versùs procedunt, primo Thuriferarius cum thuribulo, & secum alius cum aqua benedicta & aspersorio; deinde duo ceroferarij, tum Subdiaconus cum cruce, & post eum Cantores & Clerus Ecclesiæ juxta ordinem; demum is qui Missam celebrauit, quem ad sinistram comitatur & sustinet Diaconus similiter paratus etiam cum tunicella nigra plicata, cum qua ministrauit, & Assistẽs indutus pluuiali nigro. Sed si is sit Episcopus, vel superior, post eum sequuntur Assistens, ac eius Cappellani superpelliceis induti, & qui seruiunt de mitra & libro, & alij, ac scutiferi & reliqui. In Ecclesijs verò inferioribus, & non habentibus Capitulum vel Clerum Presbyter cum suis Clericis & Scholaribus, quos habet, facit vt meliùs potest.

Et exeuntes cantant Psal. CXXIX. De profundis. sicut in tono officij mortuorum, & in fine ℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. Et cùm fuerint in cœmeterio, Subdiaconus cum cruce in pede cœmeterij seu loci, vertit se ad venientem processionem, seu contra celebrantẽ, consistens medius inter ceroferarios, congruenti spatio ab illo se locantes. Clerus hinc inde ponit se ordinatè in modum coronæ seu circuli: Sacerdos verò vel Prælatus paratus, qui facit officium stabit in capite eiusdem cœmeterij seu loci, ita vt crucem respiciat, cui assistit Diaconus à sinistris, & à tergo post Diaconum se locant thuriferarius, & is qui defert aquam benedictam. Quibus sic ordinatis & omnibus stantibus detecto capite, prædictus Sacerdos seu Prælatus incipit in tono orationis, absolutè dicens.

PIæ recordationis affectu fratres chariſſimi commemorationem faciamus pro ſpiritibus charorum noſtrorum, quos Dominus de tentationibus huius ſeculi aſſumpſit, obſecrantes miſericordiam Dei noſtri, vt ipſe eis tribuere dignetur placidam & quietã manſionem, & remittat omnes lubricæ temeritatis offenſas, vt conceſſa ſibi venia plenæ indulgentiæ, quicquid in hoc ſeculo, proprio vel alieno reatu deliquere, totum ineffabili pietate ac benignitate ſua deleat & abſtergat. Per eum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Tunc ſi celebrans eſt Epiſcopus, ſeu Superior, ſedet in faldiſtorio ibi parato eiuſdẽ coloris, vel alia Sede, & cantores incipiunt Reſponſoriũ.

Subuenite ſancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animas eorum, offerentes eas in conſpectu Altiſſimi. ℣. Suſcipiat vos Chriſtus, qui vocauit vos, & in ſinu Abrahæ Angeli deducant vos. Offerentes eas. ℣. Requiem æternam. Offerentes eas.

Incœpto ℣. Requiem. Acoluthus cum thuribulo & nauicula accedit ad celebrantem, qui miniſtrante Diacono nauiculam, impõnit incenſum. Et ſi is ſit Prælatus, tunc Diaconus dicit, Benedicite Pater Reuer. ipſe verò Prælatus imponit incenſum more conſueto, dicens: Ab illo benedicaris, in cuius &c. Finito Reſponſorio, Chorus cantat Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. & cùm incipitur primum Kyrie eleiſon. ſtant omnes detecto capite. Et ſi celebrãs ſit Prælatus, ſurgit de ſede detecto capite, & cùm finitum fuerit tertium Kyrie eleiſon, competenti voce dicit Pater noſter. quod ſecretò complet. Et interim accipiens aſperſorium cum aqua benedicta de manu Diaconi, circuiens aſpergit hinc inde cœmeterium, ſeu locum intra coronam Cleri: & dum tranſit ante crucem, illi, caput inclinãdo, facit reuerentiam. Diaconus verò qui ſimul pergit, cùm tranſit ante crucem, genuflectit.

Deinde idem celebrans accepto de manu eiuſdem Diaconi thuribulo, incenſat eodem modo circuiens. Diaconus autem tam ad aſperſionem, quàm ad incenſationem, pluuiale ad dextrum humerum celebrantis eleuat, & cùm ei aſperſorium porrigit aut thuribulum, & ab eo accipit, eius manum oſculatur. Et cùm redierit ad locum ſuum, celebrans dicit competenti voce.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Et dicantur tres infraſcriptæ orationes ſub ſingulis vel vna concluſione. Oratio.

MIſericordiam tuam Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus pietatis affectu rogare pro alijs cogimur, qui pro noſtris ſupplica-

re

re peccatis, vt dignum est, nequaquam sufficimus, tamen de tua confisi gratuita pietate & inclyta benignitate, clementiam tuam deposcimus, vt animas famulorum famularumq. tuarum, ad te reuertentes cum pietate suscipias. Adsit eis Angelus testamenti tui Michael, & per manus sanctorum Angelorum tuorum inter Sanctos & electos tuos in sinibus Abrahæ, Isaac, & Iacob Patriarcharum eas collocare digneris; quatenus liberatæ de principibus tenebrarum & de locis pœnarum, nullis iam primæuæ natiuitatis vel ignorantiæ aut propriæ iniquitatis seu fragilitatis confundantur erroribus; sed potiùs agnoscantur à tuis, & ad sanctæ beatitudinis requiem peruenire mereantur, atque cùm magni iudicij dies aduenerit, inter Sanctos & electos tuos resuscitati, gloria manifestæ contemplationis tuæ perpetuò satientur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam ad similitudinem tuam inspirare dignatus es, dum te iubente puluis in puluerem reuertitur, tu imagines tuas cum Sanctis & electis tuis æternis sedibus percipias sociari, easq. ad te reuertentes de Aegypti partibus blandè, leniterq. suscipias, & Angelos tuos Sanctos eis obuiam mittas, viamq. eis iustitiæ demonstra, & portas gloriæ tuæ aperi. Repelle quæsumus Domine ab eis omnes Principes tenebrarum, & agnosce depositum fidele, quod tuum est. Suscipe Domine creaturas tuas non à dijs alienis creatas, sed à te solo Deo viuo & vero, quia non est alius Deus præter te Domine. Lætifica clementissime Deus animas famulorum famularumq. tuarum, & clarifica eas in multitudine misericordiæ tuæ: Ne memineris quæsumus Domine iniquitatum eorum antiquarum, & ebrietatum, quas suscitauit furor mali desiderij: licet enim peccauerint, te tamen non negauerunt; sed signo fidei insigniti te, qui omnia, & eos inter omnia fecisti fideliter adorauerunt. Qui in Trinitate viuis & regnas Deus in secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio.

Deus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis omnibus hîc & vbique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum; vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Cantores incipiant, & chorus prosequatur Responsorium.

Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum; tu eis Domine dona requiem & locum indulgentiæ. ℣. Qui venturus es iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem. Tu eis. ℣. Requiem æternã. Tu eis.

Et omnes à cœmeterio regredientes in Ecclesiam eodem ordine quo venerunt, consistunt in media naui, vt suprà in cœmeterio dictum est: & celebrans interim, dum cantatur, si est Episcopus vel Prælatus, sedet in faldistorio ibidem posito, seu eò allato, & incœpto ℣. Requiem. Acoluthus accedit cum thuribulo & nauicula, & celebrans ministran-

te Diacono, imponit incensum &c. Finito Responsorio, chorus cantat Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Et incœpto primo Kyrie eleison, stant omnes detecto capite, similiter celebrans, si est Prælatus & sedet, surgit detecto capite: & dicto vltimo Kyrie eleison, competenti voce dicit Pater noster. quod cùm secretè compleuerit, aspergit & incensat locum nauis Ecclesiæ intra Coronam Cleri positum, vt suprà: & cùm redierit ad locum suum, dicit.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Et dicantur infrascriptæ quinque orationes singulæ sub sua conclusione, vel omnes sub vna tantùm. Oratio.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio.

DEus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, præsta quæsumus, vt animæ famulorum famularumq. tuarum à terrenis exutæ contagijs in tuæ redemptionis parte numerentur. Per.

Oratio.

DEus veniæ largitor & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, vt nostrarum congregationum fratres, sorores, parentes, propinquos & benefactores nostros, qui ex hoc seculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per.

Oratio.

ABsolue quæsumus Domine animas famulorum, famularumq. tuarum, & omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorũ, vt in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos resuscitati respirent. Per.

Oratio.

PArtem beatæ resurrectionis obtineant, vitamq. æternam habere mereantur in cœlis. Per te Iesu Christe Saluator mundi Rex gloriæ, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus in secula seculorum. ℟. Amen.

Quibus finitis, Cantores incipiant Responsorium.

Domine quando veneris iudicare terram, vbi me abscondam à vultu iræ tuæ? Quia peccaui nimis in vita mea. ℣. Commissa mea paueſco, & ante te erubesco, dum veneris iudicare, noli me condemnare. Quia peccaui. ℣. Requiem æternam. Quia peccaui. & chorus prosequitur, & processio inde eodem ordine recedit ad sinistram nauim Ecclesiæ, & ibi consistit, & omnia vt suprà in cœmeterio. Et dicto vltimo Kyrie eleison, celebrans dicit similiter competenti voce. Pater noster.

Quòd

Quod cùm secretè compleuerit, aspergit & incensat vt supra. & cùm redierit ad locum suum dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SVpplices Domine pro animabus famulorum famularumq. tuarum preces effundimus, obsecrantes vt quidquid conuersatione contraxerunt humana, & clementer indulgeas, & in tuorum sede lætantium constituas redemptorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Cantores choro prosequente incipiunt Responsorium.

Ne recorderis peccata mea Domine, dum veneris iudicare seculum per ignem. ℣. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. Dum veneris. ℣. Requiem æternam. Dum veneris. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Et processio eodem ordine pergit ad nauim Ecclesiæ dextram, & in ea consistit, & fiunt omnia, vt suprà in cœmeterio dictum est. Et vltimo Kyrie eleison dicto, idem celebrans eadem voce dicit, Pater noster, quod cum secretè compleuerit, aspergit & incensat vt suprà: & cùm redierit ad locum suum dicit.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animabus famulorum famularumq. tuarum: vt qui de hac vita in tui nominis confessione decesserunt, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox Cantores choro prosequente incipiunt Responsorium.

Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda. Quando cœli mouendi sunt & terra. Dum veneris iudicare seculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego & timeo, dum discussio venerit atque ventura ira. Quando cœli. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde. Dum veneris. ℣. Requiem æternam. Libera me Domine.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et processio reuertitur in Chorum seu ante Presbyterium, & fit similiter vt in cœmeterio. Et vltimo Kyrie eleison dicto, celebrans voce

competenti dicit, Pater noster. quod secrete complet, & interim aspergit & incensat vt suprà. Et cùm redierit ad locum suum, dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumq. tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; vt indulgentiam quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine: Et lux perpetua luceat eis.

Tunc duo ex Cantoribus dicant, Requiescant in pace. ℟. Amen.

His peractis, eo ordine quo venerunt, reuertuntur in Sacristiam vel alium locum deputatum, & ibi deponunt sacras vestes, & ad propria quisque reuertitur.

Si Ecclesia non habet peculiare cœmeterium, processio exit in illius atrium vel porticum, & ibi fit officium, quód in cœmeterio agendum esset, & ab atrio vel porticu regreditur in mediam nauim Ecclesiæ, & deinde in sinistram & dextram, & in chorum. Quòd si vnam tantùm nauim habeat, officium quod erat agendum in dextra & sinistra, fit ter in eadem aliquo spatio distincta.

Quòd si intra Ecclesiam non sint sepulturæ defunctorum, exceptis forsan Prælatorum seu Sacerdotum, sed in cœmeterio dumtaxat, tunc tamen officium positum in media naui & in choro fit, sed officium agendum in sinistra & dextra naui Ecclesiæ omittitur, & fit in duobus alijs eiusdem cœmeterij locis seu mansionibus, antequàm processio in Ecclesiam reuertatur.

De priuatis precibus pro defunctis post horas ab aliquibus dici consuetis.

Cum sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, à plurimis religiosis ac pijs viris post horas canonicas, quas recitarunt, preces aliquæ pro animabus defunctorum priuatim vel extra chorum dici consueuerunt, quod cùm sit valdè laudabile & salutare, operæpretium visum est etiam hîc commemorare.

Post conclusionem officij Matutini vel Vespertini, aut aliarum horarum dicitur Psalmus.

De profundis clamaui. & in fine. Requiem æternam dona eis Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Apor-

℣. A porta inferi. ℟. Erue Dominè animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Et dicantur tres orationes generales pro defunctis sub vna conclusione, vt in officio mortuorum. Oratio.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio.

DEus veniæ largitor & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, vt nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc seculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per Christum Dominum &c.

Oratio.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumq. tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.
℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Vel oratio pro his qui in cœmeterio requiescunt.

Deus cuius miseratione animæ fidelium &c. quæ habetur in Missali, vel alia, siue aliæ pro deuotione dicentis, cum eisdem versibus in fine.

DE DAEMONIACIS EXORCIZANDIS.

Exorcismi diuersorum sanctorum Patrum contra dæmoniacos & maleficiatos.



CVm ad officium quoque Sacerdotis spectet, vexatis à dæmonibus sibi ab Ecclesia tradita potestate manus imponere, & precibus ac suffragijs adiuuare, & malignos spiritus fidelium corpora vexantes aut opprimentes compescere, adiurare, exorcizare, & diuina iuuante gratia tam de Catechumenorum, quàm de iam baptizatorum, si qui energumeni postea reperiantur, corporibus expellere; consequenter in postrema huius operis parte visum est poni quosdam sanctorum Patrum exorcismos, quos cum puritate conscientię & magna humilitate Sacerdos legere debet, nihil sibi, sed omnia magnæ Dei virtuti, & Ecclesiasticæ potestati tribuendo.

De instruendo Sacerdote, vel Exorcista, volente expellere dæmones ab obsessis.

QVi voluerit dare operam huic pio officio expellendi dæmones, debet esse vir pius, religiosus & Ecclesiasticus, rerum secularium & humanarum contemptor, salutis animarum amator, exemplaris vitæ, & morum honestate præditus & ornatus; saltem in ordine Exorcistatus, vel etiam in alijs minoribus vel maioribus Ordinibus constitutus, aut etiam Diaconus, aut etiam Sacerdos, vt cum maiori auctoritate dæmones compescere possit. Potest autem exorcizare quilibet Sacerdos & maximè parochialis, & quilibet Diaconus, præsertim si fuerit ei ab Episcopo vel Presbytero commissum. Sic & quilibet simplex Exorcista simili commissione vel obedientia. Deinde exorcizare volens, seipsum mundare debet per humilem & legitimam confessionem suorum peccatorum. Sacerdos vel Diaconus, si exorcizant, habere debent albam, vel superpelliceum & stolam, Subdiaconus manipulum, Acoluthus vel Exorcista superpelliceum, idest cottam tantùm. Exorcizatio autem melius fit in Ecclesia quàm extra eam, & dum exorcismi leguntur, semper habeantur aliqui Agnus Dei benedicti vel reliquiæ Sanctorum, quæ sint ante pectus vel conspectum dæmoniaci vel maleficiati.

Exorcizaturus igitur Sacerdos obsessum ab immundo spiritu, iubeat eum ad se in Ecclesiam, vel in alium religiosum aut honestum locum absque turba, tumultu & multitudine perduci: ipse verò curet ne Ordinis sui munus exerceat in peccato mortali, sed facta diligenti exhomologesi & peccatorum cõfessione, & obtenta Sacramentali absolutione, indutus sacris vestibus pro sui Ordinis qualitate, seipsum corde humilians ac peccatorem agnoscens & reputans; & non in sua, sed in Domini potentia confidens, deuotè, attentè, constanter, intrepidè & confidenter, faciens sibi ter signum crucis, dicat: In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. ℟. Amen. Quo ad se perducto, ponat manum suam super caput ipsius, & primùm sciscitetur ab eo vel ab alijs, qui eum duxerunt, à quo tempore sit obsessus, vbi, quando & quomodo eum malignus spiritus inuaserit: & si ei se obtulerit vel apparuerit sub terribilis hominis specie, præsertim defuncti, vel ferocis belluæ, vel dæmonis; in locis solitarijs, vel in opacis & tenebricosis; si interdiu, vel noctu, aut in somnis: si visum ei fuerit ventum aut murem, ranam, noctuam, vel aliquid aliud huiusmodi, per os, nares, vel aures ingressum esse, & si cum percussione alicuius membri: & si nouerit maleficium aliquod sibi fuisse adhibitum aut intentatum. Si autem

nihil

nihil horum nec ipse obsessus neque alij norint, interrogetur de vita & moribus: Si amore turpi detentus fuerit; si in desperationem aliquam inciderit; si superstitionibus deditus fuerit; si diabolo aliquid promiserit; si in peccato mortali diu permanserit; si diu non sit confessus peccata sua: an in aliqua corporis parte aliquid mali patiatur, vel vehementem senserit frigiditatem aut calorem: si punctiones in corde vel oculis. An aliquid graue in stomacho sentiat: si cibum non retineat: si frequentes timores, vel tremores patiatur: si rem aliquam sacram horreat vel vitet. Quæ quidem interrogationes cautè fiant, ne si non sit Dæmoniacus, quid respondere debeat doceatur.

Maleficiati autem his signis obseruentur: si colorem habeant sulphureum, giluum, siue citrinum, oculos constrictos: si eis membra videantur ligata, & humores sint exsiccati: si senserint cor constrictum, aut corrodi vel dilacerari: si in collo vel renibus tremorem pulsumq. sentiant, aut huiusmodi membra discerpi: si bolum per guttur suprà & infrà moueri: si medicamenta quoque eis nihil conferant; & alia præter sui naturam & consuetudinem mala patiantur.

Interrogetur etiam Dæmoniacus vel eius domestici, de temperaturæ, seu complexionis ipsius conditione, de ægritudinibus. An sit melancholicæ, hebetis, aut phantasticæ naturæ, vel aliqua animi perturbatione facilè commoueatur. Obseruentur nutus & oculi, si horribiles sint: si ipse non possit aut nolit integrè proferre orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, initium Euangelij S. Ioannis, In principio erat Verbum, Psal.L. Miserere mei Deus, vel Psalm. xc. Qui habitat in adiutorio Altissimi. Si alieno idiomate, quod ignorat, pluribus verbis loquatur, vel scribat: aut si rusticus vel idiota fuerit, & nihilominus disciplinam aliquam se nosse ostendat; aut si Latinè, Græcè, vel Arabicè, aut alia lingua sibi ignota loquatur: vel si musicè canat vel sonet: aut si secretum aliquod & occultum peccatum aperiat vel reuelet: vel si personam sibi ignotam nomine vocet.

Solent etiam in ipsa coniuratione alia signa apparere, quorum aliqua finita coniuratione poterit à dæmoniaco Sacerdos cautè inquirere.

Cùm enim exorcista ponit manum super caput ipsius dæmoniaci, quidam sub manu frigidissimam rem tanquàm glaciem sentiunt: alij ventum frigidissimum per renes & humeros descendere: alij caput, vel aliud principale membrum valdè grauari: alij cerebrum constringi, tanquàm perforari, & percuti: quibusdam caput, & facies, & totum corpus videtur inflammari: quibusdam vehemens febris, & capitis dolor euenit, totumq. corpus extenuatur, & frangitur: aliquibus guttur inflatur, aut sic constringitur, ac si strangularentur, quæ tamen inflatio non eueniat ex compressione gulæ, sed fit magna etiam erecto capite & collo extenso: aliquibus orificio stomachi res quædam mouetur ad instar pilæ, ac si essent vermes, formicæ, vel ranæ: alijs venter inflatur, aut torsionibus torquetur, & frequentes vomitus accidunt: parum comedunt, parum dormiunt, vel siquando dormiunt, habent insomnia tetra & horrida: si incompositè induuntur, mulieres præsertim cùm non se comunt: si res lætas, & sonos vel cantus vitent, sed potiùs tristia appetant: si non libenter vultum præsertim religiosorum respiciunt: si eis cor semper mœreat, & cogitationibus tristibus vel desperatione agitentur.

Si dæmoniacus in principio coniurationis incipit tremere: si Iesu Christi nomen non libenter audiat. Ostenditur verò dæmon in aliqua corporis parte palpitando vt piscis, aut in modum formicarum, quandoque citò pertransiens vt ventus à capite ad pedem, & è contra. Quorum signorum si plura simul in vno conueniant, dubitandum non est, quin infirmus verè obsideatur à dæmone.

Est quoque dæmonum diuersa natura. Quidam exorcismos sic horrent, vt cùm viderint exorcistam ad exorcizandum paratum, antequàm exorcizentur, discedant. Alij expectant quidem exorcismos, sed eos posteà ferre non possunt. Alij diu exorcizari se permittunt, vt exorcista fatigatus infirmum deserat, putetq. non esse dæmoniacum. Alij in extrema corporis parte latent, aut in ipsa coiuratione obsessum somno

corripi faciunt,& per visum effigiem Christi, vel Sanctorum ei apparere, vt dæmoniacus liber credatur, qui tamen deseri non debet, nisi manifesta signa liberationis appareant. Quidam ne exorcizentur, conantur exorcistæ persuadere dæmoniacum non esse obsessum immundo spiritu, sed aliquo morbo laborare, vel quòd falsa sit opinio eorum, qui putant immundos spiritus homines inuadere. Quibus omnibus animaduersis, exorcista diuersas diaboli artes diuino præsidio fretus spirituali prudentia euertat, & superare conetur.

Verùm quia prauum est cor hominis, plerumque contigit aliquos, vel cupiditate aliquid temporale, aut carnale obtinendi, vel aliquod malum subterfugiendi aut vitandi,vel odio aut desperatione aliqua simulasse se immundo spiritu obsideri: alios verò melancholia, aut alia infirmitate qua laborant, energumeni speciem nutibus & gestis demonstrasse: Idcircò prudens & cautus sit exorcista in ijs dignoscendis: nec enim desunt signa, quibus eos omnes diuina etiam gratia adiutus facilè deprehendet,vt si aliquas sacræ Scripturæ sententias liberè & absque horrore proferant, quales sunt.

Miserere mei Deus. Deus propitius esto mihi peccatori. Verbum caro factum est. Spiritus sanctus superueniet in te. Et huiusmodi.

Si etiam Exorcista simularet super energumenum,qui Latini sermonis ignarus sit,orationes sacras, seu Psalmos dicere, & eorum loco profana verba Latinè dicat,vt versus Virgilianos, ad quorum prolationem ipse interim obstrepat, & torqueri se conclamet. Similiter si aliquod non sacrum ei admoueat,ac si esset sacrum, vel si simulans eum aspergere aqua benedicta, aspergat eum aqua non exorcizata, quorum contactum ille vitare se demonstret, vel ad contactum stridcat,nutibus,totoq. corpore commoueatur.

Si ad verbera, quibus quandoque (Cypriano in epistola ad Donatum auctore)erratici spiritus, vt recedant vrgentur, statim se liberatos respondeant, deprecenturq. ob metum verberum Exorcistam, ne eos vltra pecutiat.

Si etiam compti & ornati procedant,quod contra energumenis accidere solet,sanè indicia erunt energumenum non esse. Melancholicos Exorcista non nimijs exorcismis fatiget, quibus exagitationibus melancholia augetur, quinimò eos humanè magis tractet, blandisq. & lenibus verbis alloquatur, ac suos hortetur, vt medicamenta ei, & optima alimenta medicorum consilio subministrent. Simulatores verò coram de simulatione non arguat,ne diffamare eos videatur,sed priuatim,moneatq. eos,vt resipiscant, & quamprimùm idoneo Sacerdoti confiteantur: cùm plerunque euenerit,vt sic simulantes diuina postea indignatione verè ab immundo spiritu in corpore corriperentur. Quibus cognitis facilè apparebit,quinam sint verè,falsove, energumeni: noueritq. Exorcista non modicæ virtutis esse in ijs hominum deceptiones detegere, nec minoris meriti animas à diabolica infestatione,quàm corpora liberare.

Si igitur manifesta præcesserint signa vexationis, vel saltem dubitetur, iubeat eum (si tunc ei non fuerit opportunum) alio die in aliquam Ecclesiam adduci: & vt interim ab ijs, qui eum duxerunt, & ab alijs religiosis personis fiant pro eo assiduæ orationes, ieiunia, & eleemosynæ: Oret quoque & ieiunet Exorcista: ac ipse obsessus si mente & corpore valeat,qui & conscientiam præuia confessione diligenter mundet.

Statuto itaque die ducatur cum paucis in Ecclesiam, nec admittantur curiosæ personæ, aut crimine aliquo notatæ.

Moneantur autē præsentes,pro vexato,cùm exorcizabitur,humiliter & instanter orare; ipse etiam vexatus (si mentis compos sit, & integro sensu) moneatur vt in actu coniurationum totum se ad Deum colligat,& conuertat, ac firma fide salutem postulet,omni humilitate orans: & cùm vehementius vexatur patienter sustineat,non diffidens de Dei auxilio: habeatq. in manibus crucifixum,& reliquiæ Sanctorum ad pectus & caput obsessi admoueantur: Exorcista verò non nimiùm vagetur in multiloquio,aut superuacaneis,vel curiosis interrogationibus,sed iubeat semper immundum

dum spiritum tacere, & obmutescere: & ad interrogata tantùm respondere: nec ei credendum est, si dæmon simularet se esse animam alicuius defuncti, cùm id fidei Christianæ repugnet, vt infrà dicetur.

Exorcismos faciat cum imperio, & auctoritate, fide interna, & magno feruore, & cùm viderit spiritum valdè torqueri, tunc magis instet in exorcismis, & quoties viderit dæmoniacum in aliqua corporis parte commoueri, aut pungi, aut bolum siue tumorem alicubi apparere (quod maximum indicium est obsessi à spiritu immundo) ibi faciat signum crucis, vel aquam benedictam aspergat, quam in exorcizando paratam semper habeat vnà cum incenso fumigante, sæpiusq. super dæmoniaco admoueat.

Obseruet quoque ad quæ verba dæmones magis conturbentur, & ea sæpiùs repetat.

Iubeat quoque dæmoni, vt discedens det signum sensibile liberationis obsessi, vt per extinctionem luminis, atque si plures sint immundi spiritus, vt omnes discedant, neque alios in adiutorium admittant, quibus inhibeat, facto signo crucis dicens: Ecce signum crucis ✝ fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda. Iubeat etiam dæmoni, vt dicat si detinetur in illo corpore ob aliquas facturas magicas, & eas si per comestionem sumpserit euomat: vel si alibi extra corpus fuerint, eas reuelet, quæ si inueniantur, comburantur. si autem dæmoniacus in Ecclesiam ob grauem infirmitatem duci non potest, Sacerdos domum illius accedat, vbi coram aliqua Christi, vel Sanctorum imagine, aliquas secum, si opportunitas dabitur, reliquias deferés, alijs, vt supra orantibus, superpelliceo & stola indutus eum exorcizet. In Ecclesia verò, si manè fieri possit, celebrata primùm Missa, deinde deposita tantùm casula, eum exorcizet in loco magis deuoto & sancto illius Ecclesiæ, præsertim vbi fuerint reliquiæ, & corpora Sanctorum, vel etiam ante locum Sacramenti.

Deinde ponat manum suam super caput dæmoniaci, & eam continuè tenens, humiliter dicat non solùm verbotenus, sed etiam cum interna fide & affectu sequentes exorcismos. Sed antequam deueniatur ad eos, pro informatione exorcizantis notanda sunt quædam præambula valdè opportuna, videlicet:

De modo, quem tenet diabolus ad intrandum in humana corpora. Cap. I.

DIabolus ingreditur in humana corpora propter desperationem, aut propter aliud graue peccatum; aut aliquando permittitur ad exercitationem. Primi duo modi sunt ad vindictam Domini Dei, secundum S. Hieronymum super Ioelem, vt habetur xxiij.q.v. Non solum. Tertius modus est ad salutem animæ: sicut legitur de aliquibus Sanctis, qui fuerunt vexati à dæmonibus vsque ad finem vitæ eorum. Antequàm ergo diabolus humana corpora ingrediatur, quasi semper primò apparet eis in effigie alicuius hominis, qui mala morte est defunctus, aut repræsentat aliquem eorũ consanguineum; aut apparet illi in effigie alicuius animalis terribilis vel horribilis: & sibi videtur quod subitò dispareat, sed ingreditur subitò in eum. Et hoc vt plurimum accidit in nocte, & in locis opacis & obscuris. Et in talibus oppressis apparent signa, quæ infrà dicemus. Aliqui etiam intrant per os aut aures in modum venti, aut in modum vnius muris, sicut narrauerunt talia patientes. Aliqui-

bus etiam dormientibus dæmones tale somnium induxerunt, quòd videlicet eis videbatur, quòd dæmon post eos currebat, qui euigilantes inuenti sunt cum talibus signis dæmoniacorum, videlicet quòd diabolus erat in eis, vt postmodùm clarè apparuit. Aliquando etiam ingrediuntur percutiendo collum, aut alia membra ipsorũ.

De maleficijs. Cap. II.

IN omnibus autem maleficijs est pactum aut manifestum aut secretum, quod habet diabolus cum malefico, secundùm quod currit sigillum maleficij, quod quasi semper est res vana. Facto maleficio subitò diabolus aut præsentialiter aut potestatiuè ingreditur in illam personam supra quam factum est dictum maleficium: & hoc est ob aliquod occultum Dei iudicium. Verùm si esset aliqua persona sancta & pura, sicut erat beata Iustina, nihil possent dæmones contra ipsam. De his autem longiùs & diffusiùs tractatur in Summa Siluestrina, & in Summa Astesana, & libro Magistri Ioannis Nider, qui dicitur Præceptorium diuinæ legis, de decem præceptis. His adiungo quòd illa ossa & pennæ insertæ vna in alia, & multa & quasi infinita talia, quæ in lectis, inueniuntur à dæmone deportata, sicut clarè fuit deprehensum, sunt extrahenda & igni comburenda, dum dicitur Psal. Exurgat Deus. Nec sequenda est illa superstitio, quam vulgus ponit, de mittendis talibus rebus inuentis ad fluuium currentem. Fuit olim quædam iuuencula, contra quam quotidie fiebant maleficia, quæ ea quæ inuenit in lecto igni combussit. Cui sequenti nocte diabolus apparuit, & cum ea conquestus est de tot orationibus quas faciebat, & quòd combusserat ea quæ inuenerat: quam iniuriam nemo alius ei fecerat. Cui iuuencula Spiritu sancto repleta viriliter respondit, ab eo petens ad quid venisset. Qui respondit, quòd violenter illuc missus fuerat.

De signis, quibus cognoscitur aliquis esse dæmoniacus. Cap. III.

LEgitur quòd si quis non potest continuare esum carnis hœdinæ per dies triginta, quòd talis iudicatur dæmoniacus. Aliqui dæmoniaci habent oculos terribiles, & dæmones membra eorum & corpus destruunt miserabiliter & interficiunt, nisi citò eis subueniatur. Aliqui fingunt se esse fatuos, & semper anguntur: sed discooperiuntur & cognoscuntur, si nolint dicere Psal. L. Miserere mei Deus. vel Psalm. xc. Qui habitat in adiutorio. aut Euangelium S. Ioannis, In principio erat Verbum: & similia sancta. Est etiam magnum signum quando loquuntur sermonem alienum à patria sua, si non fuerunt extra patriam; & quando personæ illitteratæ & idiotæ loquuntur litteraliter & congruenter, aut etiam cantant musicè; aut quando dicunt aliquid quod ipsi nunquam dicere sciuissent. Aliqui etiam dæmoniaci sunt muti & stupidi. Aliud quoque signum est, quòd eis superueniunt terrores subiti & citò recedunt. Potissimùm autem cognoscitur quis esse dæmoniacus, si quando leguntur exorcismi conturbatur, & hoc signum est præsentis diaboli, sicut infrà dicemus.

De signis, quibus cognoscitur quis esse maleficiatus. Cap. IIII.

ALiqui maleficiati habent colorem faciei citrinum seu giluum, & aliqui oculos constrictos, & omnia eorum membra videntur ligata, & habent humores desiccatos. Duo autem potissima signa sunt constrictio cordis & oris stomachalis, & quando videtur eis, quòd habent vnum bolum super stomachum. Aliqui habent puncturas in corde tanquam si acubus esset punctum. Aliquibus videtur cor eis corrodi. Aliqui habent magnum dolorem in collo aut renibus, & videtur eis, quòd talia membra à canibus lacerentur. Aliquibus videtur habere bolum in gutture, qui ascendit & descendit. Quibusdam ligata est vena generationis. Aliqui habent stomachum ita indispositum, quòd emittunt per vomitum quicquid comedunt vel bibunt.

bibunt. Aliquibus per ventrem discurrit ventus frigidissimus, aut tanquàm flammæ ignis. Aliquibus signum est in digestione cibi, & potissimùm quando medicinæ applicatæ nihil prosunt infirmo. Aliquibus est circa collum continua pulsatio, quæ videtur tremorem inferre. Vltra hæc signa sunt etiam alia quamplura, quæ experiendo inuenies.

Conditiones Exorcistæ, & qualiter se præparare debet. Cap. V.

DAemoniaci & maleficiati citiùs liberantur in Ecclesia, quàm in priuatis domibus, & priùs debent confiteri. Laudo quòd Exorcista sit Sacerdos, qui debet esse homo vitæ sanctæ, benè confessus & contritus, & super omnia humilis, opus hoc diuinæ omnipotentiæ attribuendo. Qui hortetur infirmum, vt omne adiutorium à diuina maiestate expectet, à se autem nihil, nisi modicum laboris, qui etiam est ex gratia Domini Dei. Non sit etiam auarus, quia petendo pecunias aut expectando perderet donum tantæ gratiæ. Tamen si pauper est securè potest accipere eleemosynam sibi datam. In illa die omnino celebret priùs, quia diabolus plus timet manuum impositionem, & præsentiam eius.

De signis, quæ apparent quando Sacerdos coniurat maleficiatum. Cap. VI.

EXorcista moneat dæmoniacum vel maleficiatum, vt recolligat mentem suam, & eam ad Deum dirigat cum firma fide & spe liberationis suæ à diuina maiestate, si expediat saluti animæ suæ. Et habeat crucifixum in manibus suis, & ponat reliquias Sanctorum ligatas in panno serico super cor eius, aut super stomachum, & ipse faciat signum cum manu quotiescunque senserit in aliqua sui corporis parte commoueri aut pungi: & hoc vt Sacerdos non conturbetur: sed vt sciat ad quæ verba magis diaboli conturbentur. Et finita illa coniuratione, interroget eum Sacerdos de accidentibus quæ ipsi contigerunt. Hæc signa solent accidere quando Sacerdos ponit manum super caput, quia sentiunt sub manu rem frigidissimam tanquàm glaciem. Aliquibus descendit ventus per humeros & renes, qui est frigidissimus: aliquibus caput in immensum aggrauatur: aliquibus cerebrum constringitur & videtur perforari ac si gladio percuteretur: aliquibus inflammatur caput & facies, & aliquando tota persona, ac si esset vapor igneus. Aliquibus febris immensa cum dolore capitis euenit, & totum corpus extenuatur & frangitur. Sed omnia ista accidentia parum durant, quia coniuratio tollit dæmonis vigorem. Aliquibus constringitur guttur, adeò quòd videntur strangulari. Aliquibus ad orificium stomachi mouetur quædam res ad modum pilæ, ac si essent vermes, aut formicæ aut ranæ. Quibusdam accidit vomitus magnus stomachi. Aliquibus maxima tortura in visceribus. Nonnullis venter vehementer inflatur. Quibusdam constringitur cor, ac si intolerabiliter feriretur. Ostenditur etiam dæmon in aliqua parte corporis palpitando sicut piscis, aut in modum formicarum. Aliquando pertransit à capite vsque ad digitos pedum sicut ventus, & è contrà. Vltra ista signa quamplura alia experiendo videbis, quia diuersi dæmones faciunt diuersa signa.

De modo quem tenet diabolus ad egrediendum de corporibus. Cap. VII.

SI fuerint diaboli qui loquantur, coniura eos quòd dimittant corpus illud liberum & expeditum sicut erat quando fuit baptizatum; & fac eum dare signum discessus per extinctionem candelæ. Si verò sint diaboli qui non loquantur, sicut inuenitur in maleficiatis, exeunt aliquando per os in modum flammæ ignis: aliquando in modum venti congelati; & in exitu videbis inflari guttur. Egrediuntur etiam per

aures.

aures, ſimili modo diſcedentes à ſtomacho ſeu à corde. Aliqui exeunt per ſeceſſum in ſimilitudinem pilæ, quæ ſemper rotatur donec exeat. Aliqui in ſimilitudinem ranæ, quæ ſerpit donec fuerit egreſſa. Aliqui in ſimilitudinem venti frigidiſsimi.

De malitijs & deceptionibus, quibus vtuntur dæmones ad Exorciſtam decipiendum. Cap. VIII.

ALiqui dæmones tanto odio habent verba ſancta, vt antequàm coniurentur, diſcedant. Alij expectant coniurationem, ſed poſteà non poſſunt eam ſuſtinere. Aliqui autem ſunt adeò maligni, quòd faciunt fatigari Exorciſtam per magnum temporis ſpatium, vt appareat infirmo, quòd non ſit dæmoniacus, & vt faciant fatigari & pati Exorciſtam. Aliqui poſteà quàm ſunt manifeſtati abſcondũt ſe, & relinquunt corpus liberũ ab omni faſtidio, taliter quòd infirmus putat ſe eſſe omnino liberatũ: ſed non debet ceſſare Exorciſta donec viderit ſigna liberationis. Aliqui dæmones ponunt impedimenta quę poſſunt infirmo, vt non ſe faciat adiurari. Quidam conantur perſuadere quòd ſunt infirmitates naturales, & quòd iſta res eſt dolus quidam & fraus. Aliqui in medio coniurationis faciunt dormire infirmum, & oſtendunt ei aliquam viſionem Crucifixi vel aliorum Sanctorum ſubtrahendo ſe, vt ſtent ſecreti, & oſtendunt infirmum liberatum. Aliqui oſtendunt maleficium factum ſuper ipſum, & auctores maleficij, & modum ad illud diſſipandum. Sed ſit cautus Exorciſta, ne faciat aliquam ſuperſtitionem. Non mireris ſi diabolus in ſuſceptione Sacramenti Euchariſtiæ per dæmoniacum non conturbetur: quia poſtquàm intrauit paulatim deſpicit & non timet ſancta; imò loquitur myſteria fidei ſanctæ, & confitetur diuinam maieſtatem: Et ſuppouit perſonam vexatam, & ei loquitur in corde, & facit eam perturbari re minima. Præterea aliqui dæmones poſt longam vexationem factam alicui perſonæ, ſi non expelluntur, loquuntur per os eius quaſi ſemper, & ceſſant ei nocere: poſteà tandem deprehenduntur.

De modo quem tenere debet Exorciſta in coniurando aliquam perſonam. Cap. IX.

CElebrata Miſſa, ſi perſona dæmoniaca vel maleficiata eſt ſana, ducatur ad Eccleſiam: quia ibi faciliùs obtinebitur victoria: & ſi fuerit infirma, vel multùm debilis, coniuretur in domo, hoc modo. Habeat Exorciſta ſuperpelliceum & ſtolam, & apponat partem ſtolæ collo maleficiati, & reliquias Sanctorum ſuper cor eius, aut ſuper orificium ſtomachi, & poſteà incipiat Exorciſmum. Et quando peruenerit ad comminationem, replicet ipſam vſque decies ſemper pœnam augendo: & ſi videt profectum, in ipſa continuet vſque ad liberationem. Et ſi magis timeret Exorciſmum, lege illum, quia vnus dæmon plus timet vnam rem, quàm aliam. Et non deficias à fide, ſed oportet perſeuerare duabus, tribus, quatuor, aut ſex horis continuè, & plus, donec habeas victoriam. Et dæmones obſtinati ſemper quærunt defatigare Exorciſtam, vt deſinat præ labore & laſſitudine exorcizare. Et plus timent in prima quàm in ſecunda vice: quia reputant ſe fuiſſe conſecutos victoriam, quando dimittit propter laſſitudinem exorcizare. Et ſi primo die non fuerit liberatus, proſequatur ſecundo & tertio quouſque liberetur ex toto: quia videbis quotidie dæmones magis debilitari. Sint etiam præſentes fideles, qui etiam orent Deum pro infirmo. Solet etiam Exorciſta facere præceptum dæmonibus alijs, qui veniſſent ad ſuccurrendum dæmoni vexanti, in hunc modum.

Præcipio vobis dæmones qui veniſtis in ſuccurſum & adiutorium iſtius vel iſtorum dæmonum, hanc Dei creaturam N. vexantis vel vexantium, ex parte ſanctiſſimæ Trinitatis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠. & ſub pœna excommunicationis maioris & minoris latæ ſententiæ, & ſub pœna detruſionis in infernum; & ſub pœna immerſionis in ſtagnum ignis & ſulphuris per manus inimicorum veſtrorum; & ſub

pœna

pœna tradendi vos in potestatem inimicorum vestrorum, ac condemnandi vos in stagnum ignis & sulphuris per centum annos, quatenus nullum adiutorium vel fauorem detis illis dæmonibus, qui vexant corpus istius creaturæ Dei N. sed discedatis statim & eatis ad loca vobis deputata. Ecce ✠ crucem Domini, fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda radix Dauid.

Primùm quidem valdè curandum, & vigilandum est Exorcistis, & Sacerdotibus, vt orationi, & ieiunio sint assidui, tunc præsertim, cùm eijciendis spiritibus daturi sunt operam. Nam, cùm de lunatico, qui malè patiebatur, & sæpe cadebat in ignem, & crebrò in aquam, pater pro eo supplicasset ad Dominum, & dixisset, quòd obtulerat eum discipulis suis, & non potuerant curare eum: respondens Iesus, ait: O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum? Vsquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. Et subdit Euangelista. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc: & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium. Quod Marcus dixit: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio: Patet doctrinam Domini esse, vt qui spiritus immundos eijcere volũt, pollere debeant assiduitate orationis, & virtute ieiunij: secundò etiam esse quoddam genus dæmonum, quod non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium: & ideo virtutem, seu potestatem illa eijciendi fide, & humilitate, ac his, & alijs virtutibus, atque donis comparari debere.

Matth.17.c

Marci 9.e

Doceantur etiam qui fuerint à dæmonibus afflicti, vel aliàs oppressi, non pertimescere dæmonum iniurias, vel contumelias; sed peccatum fugere, & recurrere ad Christum Dominum, & abrenuntiare satanæ, & operibus eius, & adhærere Christo Domino, & nunquam prodire in forum, vel ianua domus egredi, nisi priùs breuem illam orationem, quam docebat B. Ioannes Chrysostomus, dixerint, Abrenuntio tibi satana, & coniungor tibi Christe, imprimendo sibi in fronte crucis signum inexpugnabile.

Et licet in veteri Testamento vsus fuerit Exorcismorum, & Ordo Exorcistarum institutus à Salomone Rege, & Propheta, qui immundos spiritus pellerent, vt testis est Iosephus de antiquitatibus Iudæorum lib.viij. cap.ij. his verbis.

Præstitit autem ei [scilicet Salomoni] Deus, vt etiam contra dæmones artem ad vtilitatem hominum, & eorum curas edisceret: & incantationes instituit, quibus ægritudines soleant mitigari. Modos etiam coniurationum, quibus obstricti dæmones, ne denuò redeant, effugantur, inuenit: & hæc cura hactenus apud nos multùm præualere dignoscitur. Vidi etenim quendam Eleazarum de gente nostra, præsente Vespasiano, & eius filijs, & Tribunis, alioq. simul exercitu curantem eos, qui à dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiusmodi. Intulit naribus eius, qui à dæmonio vexabatur, annulum habentem subter signaculum radicem à Salomone monstratam: deinde dæmonium per nares odorantis abstraxit, & repente cecidit homo. Posteà coniurauit eum, iuramentum obijciens Salomonis, ne ad eum denuò remearet, idest cantica, quæ ille composuit edicens super eum, &c.

Quæ & memorat Beda in Acta Apostolorum cap.xix. Tomo v. super verbis, Tentauerunt autem quidam de circumeuntibus Iudæis Exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu dicentes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat. Erant autem cuiusdam Iudæi nomine Sceuæ Principis Sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus nequam dixit eis, Iesum noui, & Paulum scio: vos autem qui estis? Et insiliens homo, in quo erat dæmonium pessimum in eos, & dominatus amborum inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa &c. cùm dicit:

Refert Iosephus (scilicet vbi proximè) Regem Salomonem excogitasse suamq. gentem

docuisse modos exorcismi, ideſt adiurationes, quibus immundi spiritus expulsi ab homine vlterius reuerti non sint ausi. Fit autem hoc interdum etiam per reprobos ob condemnationem eorum, qui faciunt, & ob vtilitatem eorum, qui vident, & audiunt; vt licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiant tanta miracula.

Et idem Beda in libro De Collectaneis,& floribus, tit. De septem Ordinibus, Tomo iij. dicit:

Exorcista, ideſt adiurator, in veteri Testamento habebat potestatem imponendi manus, expellere dæmonem ab homine; modò vitia per orationem debet effugare ab anima.

De quibus quidem Exorcistis loquitur Dominus Lucæ xj. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.

S. Isidorus lib. ij. de Officijs Ecclesiasticis cap. xiij. De Exorcistis, dicit. In primo ordine, & ministerio esse Exorcistas, secundùm officia, quæ in templo Salomonis erant disposita, quæq. posteriùs sunt ab Ecclesia dispertita inuenimus &c. cùm tamen in primo ministerio sint Acoluthi, non autem Exorcistæ.

Amalar. libro ij. de Ecclesiast. officijs cap. ix. De Exorcistis. dicit, inquit, Beda in tractatu super Actus Apostolorum. Refert Iosephus Regem Salomonem excogitasse, suamq. gentem docuisse modos Exorcismi, ideſt coniurationis, quibus immundi spiritus expulsi ab homine vlteriùs reuerti non sunt ausi. Quando idem ordinatur, accipit libellum, in quo scripta est exorcizatio, & audit ab Episcopo, vt habeat potestatem manum imponendi super Energumenum.

Rabanus libro primo de instit. Cleric. cap. x.

Exorcistæ ex Græco in Latinum adiurantes, seu increpantes vocantur. Inuocant enim super Catechumenos, vel super eos, qui habent spiritum immundum, nomen Domini Iesu, adiurantes per eum, vt egrediatur ab eis. Et ibidem citat Iosephum referentem Salomonem excogitasse, suamq. gentem docuisse modos Exorcismi, ideſt adiurationis, quibus immundi spiritus expulsi ab homine vlterius reuerti non sunt ausi. Et reliqua.

Nunquam tamen Salomon superstitionem, & alia impietatem, vel vanitatem sapientia scripsit.

Presbyteris autem, & Exorcistis valdè cauendum est, ne à dæmonibus decipiantur, vel mittantur in errores à dæmonibus, dum insinuant quosdam maleficos, & sortilegijs, ac magijs repletos libros fuisse Salomonis, vel Clauiculam magicam esse Salomonis, & falsò tribuant viris sanctis, quæ fuerunt impiorum hominum, vel etiam dæmonum opuscula. Quemadmodùm etiam grauiter blasphemant, qui vel artem notoriam, vel studium adipiscendi scientias B. Paulo Apostolo falsò imponunt in catholicæ fidei corruptelam.

Sedulò fideles admonendi sunt ne dæmonibus opprimentibus corpora energumenorum, asserentibus se animas esse quorundam defunctorum ad fidelium seductionem, & disseminationem erroris, quod frequenter faciunt apud rusticos, & imperitos, vllam prorsus fidem adhibeant: cùm id falsissimum sit, & ex fraude, & deceptione diabolica procedat. Quod & S. Ioannes Chrysostomus docuit homilia xxix. in Matthæum, cap. viij. dum de dæmoniacis, seu potiùs de dæmonibus miseros opprimentibus, sic inquit.

Sed curnam in sepulchris versantur? Quia videlicet perniciosam opinionem ingerere hominibus conantur, quòd hominum qui obierunt animæ dæmones fiant, quod etiã à cogitatione nostra vtinam absit. Sed quid respondebis, obijciet quispiam, cùm multi incantatores pueros nacti, eos iugulent, vt habeant animam sibi posteà subseruientem, & ipsos iuuantem? Sed vnde hoc patet? Quòd quidem iugulent, multi asserunt: quòd verò immolatorum puerorum animæ ipsis cooperentur, vnde mihi persuadebitur? An quia ipsos dæmoniacos clamare nonnunquam audisti, anima talis ego sum? Verùm hęc quoque oratio à fraude, atque deceptione diabolica est.

Non

Non enim anima defuncti est, quæ ista dicit, sed dæmon, qui hæc, vt audientes decipiat, defingit. Nam si possibile esset animam hominis in dæmonis substantiam transire, multò faciliùs posset in corpus suum redire, &c. Et sic prosequitur multas rationes adducens, quòd anima hominis non possit in aliam substantiam transire, vel transformari.

Quare vetularum (inquit) hæc verba sunt, imò desipientium ducenda sunt, & puerorum ludibria. Nec enim potest anima è corpore separata in his regionibus errare &c. quod & rationibus, & auctoritatibus sacræ Scripturæ comprobat, confutans hunc errorem.

Sacrum Concilium Arausicanum statuit, vt energumeni iam baptizati, si de purgatione sua curent, & se solicitudini clericorum tradant, monitisq. obtemperent, omnimodè communicent. Sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, quorum iam ostenditur vita purgatior.

Item vt Energumenis Catechumenis, inquantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de baptismate consulatur.

Nam qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari oportet: si verò fideles fuerint, dandam eis communionem esse.

Energumeni verò non solùm non sunt assumendi ad vllum Ordinem clericatus; sed & illi qui ordinati iam sunt, ab imposito officio sunt repellendi.

INcipit Exorcismus B. Ambrosij Archiepiscopi, mirabilis efficaciæ super dæmoniacos, cuius practica propriè spectat ad Sacerdotes.

Tu igitur quicunque fueris, nulla leuitate ductus, sed sola necessitatis vel charitatis causa hanc rem disponas assumere arduam, & oportet quòd præmisso trium dierum ieiunio, tertio mane diligenter cum contritione confessus Missam de Spiritu sancto deuotissimè celebres, faciendo in ipsa Missa commemorationem de infrascriptis orationibus.

Oratio.

DEus, qui per vnigenitum tuum exclusa dominatione diaboli populum tibi fidelem aptasti: expelle quæsumus à famulo tuo N. cunctas diabolicæ illusionis insidias, & eum illibatum ab omni eius impugnatione conserua. Per eundem.

Secreta.

MVnus Domine humilitatis nostræ, pro petitione famuli tui N. oblatum, petimus vt gratanter assumas, & ab eius oppressione hostis maligni insidias, omnemq. potestatem benignus excludas. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

COelestis panis, quem sumpsimus Domine, & nobis indulgentiam tribuat, & famulum tuum. N. ab antiqui hostis irrisione defendat. Per Dominum nostrum.

Completa Missa, Sacerdos nō exuat se, sed sit paratus missalibus indumentis, & candelam benedictam accensam manu tenens stet in medio ante altare facie versa ad populum, habens obsessum ante pedes ligatum, si necesse fuerit, & humili corde, deuotoq. aspectu se, & astantes muniat signo crucis, alta voce dicendo:

In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ Amen.

℣ Do-

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens Domine verbum Dei Patris, Chriſte Ieſu Deus & Dominus vniuerſæ creaturæ, qui ſanctis Apoſtolis tuis poteſtatem dediſti calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum opera dignatus es dicere, dæmones effugate: cuius virtute victus tanquam fulgur de cœlo Satanas cecidit: tuum nomen cum timore & tremore ſupplex deprecor, vt mihi indigniſsimo data venia omnium delictorum meorum, confidentiam & poſſibilitatem donare digneris, vt hunc crudelem draconem brachij tui munitus potentia fideliter & ſecurus aggrediar. Qui viuis & regnas cum eodem Patre in vnitate.

Hac oratione completa, aſpergat ægrotum aqua benedicta in modum crucis, dicendo:

In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens æterne Deus, à cuius facie cœli diſtillant; montes ſicut cera liqueſcunt, terra tremit; cui patent abyſſi; quem infernus paueſcit; quem omnis terrarum motus aſpicit, humiliter te ſupplex deprecor dominator Domine, vt inuocatione nominis tui, ab huius famuli tui N vexatione anima liberata, ad auctorem ſuæ ſalutis recurrat, liberatoremq́; ſuum diabolico depulſo fœtore, & odore ſuauiſſimo Spiritus ſancti percepto, ſequatur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit &c.

Oremus. Oratio.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: inuoco nomen tuum, ac præclaræ maieſtatis tuæ clementiam ſupplex expoſco; vt mihi auxilium præſtare digneris aduersùs hunc nequiſſimum ſpiritum. Per eundem &c.

Exorcizatio.

EXorcizo te omnis immundiſſime ſpiritus, omnis incurſio aduerſarij, omnis ira, omne phantaſma, omnis legio *in fronte*: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ✠ eradicare & explantare & effugare ab hoc plaſmate Dei: ipſe tibi imperat diabole, qui ventis & mari imperauit & tempeſtatibus. Ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit.

Hic petit Sacerdos nomen ſpiritus, & præcipit ei hoc modo, dicens.

Præ-

PRæcipio tibi, quicunque es spiritus immunde in hoc corpore, per merita gloriosæ Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, per missionem Spiritus sancti, & per aduentum eius, vt ostendas & dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitus tui, cum signo extinctionis luminis.

Iterum præcipio tibi per merita gloriosæ virginis Mariæ matris Dei, S. Zenonis, S. Ambrosij, & S. Geminiani, S. Petri martyris, & S. Catharinæ de Senis, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, vt ostendas & dicas mihi nomen tuum, & diem & horam exitus tui cum signo extinctionis luminis.

Iterum præcipio tibi [sub poena excommunicationis maioris & minoris] & auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum successorum ipsius beatissimi Petri Apostoli, vt ostendas & dicas mihi nomen tuum & diem & horam exitus tui, cũ signo extinctionis luminis.

Et si responderit quòd plures sint, tunc in plurali prosequere coniurationem & præceptum supradictum. Si verò non responderit, vel responderit se esse solum, tunc sequere in singulari, vt priùs.

AVdi ergo maledicte Satana: audi & time, victus & prostratus abscede. In nomine Domini nostri Iesu ✠ Christi. Tu ergo nequissime Satana, inimicus fidei, aduersarius generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, iustitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum, dæmonum magister: quid stas & resistis cùm scias eum tuas perdere vires? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator extitit gloriosus. Recede in fronte in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ & da locum Spiritui sancto; & per hoc signum ✠ crucis Domini nostri Iesu ✠ Christi. Qui cum eodem Patre in vnitate eiusdẽ Spiritus sancti viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus conditor & defensor humani generis, qui hominem ad imaginem & similitudinem tuam formasti: respice super hunc famulum tuum N. quẽ vetus aduersarius hostis antiquus terræ formidinis horrore circumuolat, & sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutes diaboli, fallacesq; eius insidias amoue: procul impius tentator aufugiat. Sit hominis tui signo ✠ in fronte. famulus tuus & animatus & corpore. in pectore. Tu pectoris ✠ huius interna custodias: tu viscera ✠ regas: tu cor ✠ confirmes. In anima aduersatricis potestatis tentamenta euanescant. Da ad hanc inuocationem nominis tui gloriam, vt qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat: tibiq. possit hic famulus tuus N. & corde firmatus, & mente sincerus

libe-

liberum præbere famulatum. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens æterne Deus, osanna in excelsis, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam tyrannum gehennæ ignibus deputasti: quiq. vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem contereret: velociter attende, accelera vt eruas hominem ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem super bestiam, quæ exterminat vineam tuam: da fiduciam Domine seruis tuis contra nequissimum draconem fortissimè stare. Non contemnat Domine sperantes in te, & de tua misericordia præsumentes, nec dicat, sicut in Pharaone iam dixit: Deum non noui, & Israel non dimittam. Vrgeat illum Domine dextera tua potens discedere à famulo tuo N. ne diutiùs præsumat captiuum tenere hominem, quem tu ad imaginẽ tuam facere dignatus es. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat.

Hic interroga de nomine vt suprà, & præcipe. Si verò non dicat nomen dæmonis vel dæmoniorum, qui opprimunt corpus obsessi, dic in aure obsessi ter hunc versum. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Tunc siue responderit siue non, fideliter & sine intermissione prosequere coniurationem.

Coniuratio.

ADiuro te serpens antique per iudicem viuorum & mortuorum, per factorem mundi, per eum qui habet potestatem mittere te in gehennam, vt ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiæ suæ currit præsidia, festinus discedas. Adiuro te, non per meam infirmitatem, sed per virtutem Spiritus sancti, vt exeas ab hoc famulo Dei N. quem Dominus Iesus Christus fecit ad imaginem & similitudinem suam. Cede, cede, non mihi, sed ministro Christi: illius enim te vrget potestas, qui te affixus in fronte cruci ✠ suo subiugauit imperio. Illius brachium ✠ contremisce, qui de cunctis gemitibus inferni animas iustorum ad lucem perduxit. Sitq. tibi terror corpus hominis, sitq. tibi terror imago Dei: nec resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quia complacuit Deo, vt in homine habitaret. Et ne me infirmissimum contemnendum putes, dum me peccatorem esse cognoscis. ✠ Imperat tibi Deus. ✠ Imperat tibi maiestas Christi. ✠ Imperat tibi Deus Pater. ✠ Imperat tibi Filius. ✠ Imperat tibi Spiritus sanctus. ✠ Imperat tibi fides Apostolorum Petri & Pauli, & cæterorum Apostolorum. ✠ Imperat tibi sanguis Martyrum. ✠ Imperat tibi Sacramentum, in fronte. crucis. ✠ Imperat tibi mysteriorum virtus. ✠ Imperat tibi Iesus Nazarenus. ✠ Imperat tibi Verbum caro factum. ✠ Exi

trans-

transgressor, exi seductor plene omni dolo & fallacia, veritatis inimice. Da locum durissime, da locum impijssime, da locum Christo, in quo nihil inuenisti de operibus tuis nefandis, qui te expoliauit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligauit & vasa tua diripuit: qui te proiecit in tenebras exteriores, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente recogitas? Quid temerarie retractas? Reus omnipotenti Deo, cuius statuta transgressus es: reus Iesu Christo filio eius, quem temerariè ausus es tentare, & crucifigere præsumpsisti: reus humano generi, cui tuis persuasionibus mortis fructum propinasti. Adiuro te itaque draco nequissime in nomine agni immaculati, qui ambulat super aspidem & basiliscum, qui conculcat leonem & draconem, vt discedas ab homine isto, discedas ab Ecclesia Dei. Contremisce & fuge inuocato nomine illius, quem inferna tremunt, cui virtutes cœlorum & potestates subiectæ sunt, quem Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant, dicẽtes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Iesus Nazarenus, qui te, cùm discipulos eius contemneres, elisum & prostratum exire iussit ex homine. Quo præsente, cùm te ab homine separasset, nec porcorum gregem præsumebas contingere. Recede ergo nunc adiuratus in nomine ✠ eius in fronte ab homine isto, quem ipse plasmauit. Durum est tibi Christo velle resistere: durum est tibi contra stimulum calcitrare: quia quantò tardiùs exis, tantò maius tibi supplicium crescit, quia non hominem contemnis, sed illum, qui est dominator viuorum & mortuorum. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem. ℟. Amen.

Si adhuc non recesserit spiritus malignus, aut superiùs non responderit, præcipe vt suprà. Item interroga, qua causa venit, & quare opprimit eum. Interroga etiam, si sint alij spiritus opprimentes, & quot, & omnes eijciantur. Esto prudens & circumspectus in interrogationibus, ne decipiaris. Magis stude cum humilitate mentis, quæ ad talia est necessaria, liberare creaturam Dei, quàm loqui cum dæmonibus, vel cum aliquo eorum, sicut fecerunt Sancti. Demum factis interrogationibus si non recesserit, siue responderit, siue non, prosequere confidenter coniurationem sequentem. Coniuratio.

ADiuro te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio Satanæ in nomine Iesu ✠ Christi Nazareni, qui post lauacrum Iordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit: vt quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu desinas impugnare, & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ✠ ergo Deo, qui te humiliato famulo suo Iob in seruitutem redegit. Cede Deo ✠ qui te per Danielem puerum suum perdidit, & draconem prostrauit. Cede ✠ Deo, qui te per fidelissimum seruum suum Dauid de Rege Saule spiritualibus canticis pulsum fugauit. Cede ✠ Deo, qui te per mali-

tiam tuam in Pharaone & eius exercitu, per Moysen seruum suum in abyssum demersit. Cede ✠ Deo, qui te in Iuda Iscariote proditore damnauit. Ille enim te diuinis angit verberibus, in cuius conspectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixisti, Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos. Ille te flammis perpetuis vrget, qui in fine temporum dicturus est impijs: Ite maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & Angelis eius. Tibi enim impie & angelis tuis vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi & Angelis tuis inextinguibile præparatur incendium: quia tu es Princeps maledicti homicidij; tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu artium pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscenitatis inuentor. Exi ✠ ergo impie: exi ✠ scelerate: exi cum omni fallacia tua, quia in fronte ✠ hominem templum suum voluit esse Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo ✠ Patri omnipotenti, cui omne genu flectitur. Da locum Domino Iesu ✠ Christo, qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui sancto ✠ qui per beatum Apostolum suum Petrum manifestè te strauit in Simone Mago, qui fallaciam tuam in Anania & Saphira condemnauit; qui te in Herode Rege honorem non Deo dante percussit, qui te in Elyma Mago per Apostolum suum Paulum cœcitatis caligine perdidit, & per eundem de Pythonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc ✠ discede seductor ✠ Tibi eremus sedes est, tibi habitatio serpens est, humiliare & prosternere. Iam non est differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos suos. Si enim homines fallis, Deum non poteris irridere. Ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt. Ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparauit æternam gehennam, de cuius ore exit gladius bis acutus. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem. ℟. Amen.

Si adhuc his dictis fatigatur oppressus, tunc prosequere, & dic.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, te suppliciter deprecamur, vt imperes diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, vt ab eo discedat; & libera eum, qui credit in verum liberatorem Dominum nostrum Iesum Christum: vt purgatus ab omni labe iniquitatis maiestati tuæ pura mente deseruiat. Per eundem.

His expletis, si spiritus immundus non recesserit, rursus incipiendum est ab illo loco suprà in hoc Exorcismo, vbi sic habetur.

Omnipotens æterne Deus, à cuius facie &c. suprà pag. 682. & ordine prædicto prosequendum est vsque in finem.

Nec propter hoc Exorcista diffidat: quia sæpe probatum est quòd mul-

multiplicatis orationibus & exorcismis duobus vel tribus diebus, adeptus est victoriam, quam in vna vice tantùm non potuit adipisci.

Si obsessus fuerit liberatus, Sacerdos dicat sequentes versus & orationes.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui liberare dignatus es hunc famulum tuum N ab omni vexatione Satanæ & ministrorum eius: emitte in eum septiformem Spiritum sanctum paraclitum, qui ipsum custodiat & muniat ab omni incursu maligni spiritus, & signa eum signo crucis ✝ Christi, in vitam propitiatus æternam.

Alia oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui spiritum nequam, tuo sancto Spiritu de huius famuli tui corpore expulisti; tua eum nunc salua virtute, vt ad nullum declinet peccatum, sed semper ad tuam iustitiam eius procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera.

Alia oratio.

VIsita quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Si verò non fuerit liberatus eo vel alio die, patienter feratur manus Domini, & eodē vel alio die repetatur Exorcismus & Coniuratio vt suprà vel aliqua pars eorum, & fiant assiduæ orationes ac sine intermissione deprecationes & Litaniæ, ieiunia frequentia, eleemosynæ copiosæ iuxta facultates patientis, & alia pietatis opera per eius parentes, propinquos & affines, aliosq. eius amicos, & religiosas personas.

Alius Exorcismus sancti Ambrosij.

EXorcizo te hostis humani generis in nomine Dei Patris omnipotentis, vt recedas ab hoc pretioso diuini opificis plasmate. In hoc enim figmento est vera Sion, quem elegit Deus in habitationem sibi. Discede ergo nequissime Satana cum omnibus nequitijs & artibus tuis, cum omni infestatione & incursibus tuis, nec vllas in hac Dei imagine insidiarum tuarum subocculte relinquas: ac ne id solum contemnendum putes, Ecce signum crucis ✝ Domini nostri Iesu Christi, in quo omnis

plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter, per quod tremebundus & pauefactus excluderis: Absit à corde eius omne infirmitatis lubricum, omne incompositæ conuersationis indignum. Absint fœdi actus, & fœdi sensus. Absit à corde pariter atque anima omne diabolicæ tentationis genus: vt qui in illo viuifico & immortali bono, fonte plenæ atque perfectæ gratiæ puritatem ingressus capiebat, egressus posteà non relinquat. Per Dominum. Qui venturus. Alius.

ADiuro te per Deum viuum, & per Deum omnipotentem immundissime spiritus, qui es inueterator malitiæ, materies criminũ, origo peccati, qui fraudibus delectaris, sacrilegijs pasceris, stupris, & cædibus gaudes: te inuocato Domini nostri Iesu Christi nomine increpamus & adiuramus per eiusdem maiestatem atque virtutem, per passionem & resurrectionem, per aduentum ad iudicium, vt in quacunque membrorum parte latitas, propria te confusione manifestes. Exagitatusq. spiritualibus plagis, & inuisibilibus tormentis, vas, quod obtinuisse te credis, effugias, & expiatum post habitationem tuam Domino derelinquas. Sufficiat quod prioribus seculis per hominum corda penè per totum orbem dominatus es. Iam in dies singulos destruitur regnum tuum, tuaq. quotidie vsque in finem tela deficiunt. Tu vastatus Aegyptiorum plagis, tu in Pharaone demersus, in Hiericho destructus; in septem Chananæis gentibus stratus: Tu per Samson in Allophylis subiugatus: per Dauid truncatus in Goliath: per Mardochæum in Aman expoliatus: per Danielem in Bel deiectus, in Dracone punitus: per Angelum in Herode percussus: per Dominum nostrum Iesum Christum humanis imperijs subiugatus: per Paulum cœcatus in Mago; vstus in vipera: per Petrum disruptus in Simone, per omnes Sanctos deinceps fugaris, torqueris, illuderis, æternis ignibus, & inferni tenebris deputatus. Vnde hominem Dominus noster Iesus Christus in Adam secundo, de mortis imperio, dum de te triumphat exemit, Abscede inimice laqueator, & post hac prohibentibus, & comminantibus nobis, corpus Deo dicatum ne repetas. Interdictum tibi sit in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. In gloria Dominicæ passionis, cuius cruore saluatus aduentum eius expectat, iudiciumq; confitetur. Qui viuit, & regnat cum Spiritu sancto in gloria Patris, quiq. venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Alia oratio.

DIuino præcepto, sacro imperio, trino pietatis auxilio impero, atque dico tibi damnate immunde spiritus, auctor concupiscentiæ, princeps superbiæ, radix amaritudinis, scissor vnitatis, hostis pacis, inimice castitatis, in pace subdolus, in persecutione violentus; antequàm miles, desertor; priusquam Imperator, tyrannus, antequàm capias, captiuus. Tu ab origine superbiens & inuidiosas artes machinãs, Deo te esse similem voluisti dicens: Ascendam in nubem, & ero similis Altissimo: tibi enim parum visa fuit Angelica dignitas, forma qua priùs vtebaris

sic

ſic eras in paradiſo, tanquam gemma pretioſa, & exaltatus in tua pulchritudine Deum voluiſti tentare. Tunc te vniuerſorum creator Deus, ab alto deſuper ardens captiuauit; & cùm vidiſſes hominem ſacris manibus factum, ad imaginem Dei formatum, inuidia tu laboris accenſus, & ingenio crudelitatis verbis ſimplicioribus irretiſti, & ſerpentina fraude deceptum in ſempiternum perire voluiſti promittendo bona & dando mala, & in infirmo vaſe muliebri imperium mortis obtinuiſti. Tu Iſrael gentium ſimulacrum præparaſti, vt Deum viuum relinquerent, & ſculptilibus, & lignis, & lapidibus deſeruirent. Tu es arbor totius amaritudinis, qui varias immittis concupiſcentias. Da ergo honorem Deo viuo & vero, & time nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & diſcede à famulo Dei, in nomine eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui venturus.

Item alius Exorciſmus S. Ambroſij.

OMnipotens Domine, verbum Dei Patris Chriſte Ieſu, Deus, & Dominus vniuerſæ creaturæ, qui ſanctis Apoſtolis tuis poteſtatem dediſti calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones: quiq. inter cætera mirabilium tuorum præcepta, dignatus es dicere: Dæmones effugate, cuius virtute victus dæmon tanquàm fulgur de cœlo cecidit, tuum nomen cum timore, & tremore ſupplex deprecor, vt indigniſſimo mihi data omnium venia delictorum, confidentiam, & poſſibilitatem donare digneris, vt hunc crudelem draconem brachij tui munitus potentia fideliter & ſecurus aggrediar.

ADiuro te ergo omnis immundiſſime ſpiritus, omne phantaſma, omnis incurſio Satanæ, in virtute nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui poſt lauacrum Iordanis in deſertum ductus eſt, & in tuis te ſedibus vicit, vt illum, quem de limo terræ ad honorem gloriæ ſuæ formauit tu deſinas impugnare, & in homine miſerabili, non humanam fragilitatem, ſed omnipotentis Dei imaginem contremiſcas. Cede ergo Deo, qui te humiliatum famulo ſuo Iob in ſeruitutem redegit. Cede Deo, qui te & militiam tuam in Pharaone, & in eius exercitu per Moyſen ſeruum ſuum demerſit in abyſſum. Cede Deo, qui te per Daniel puerum ſuum in Bel prodidit, & in dracone proſtrauit. Cede Deo, qui te per fideliſſimum ſeruum ſuum Dauid de Saule Rege ſpiritualibus canticis pulſum fugauit. Cede Deo, qui te in Iuda traditore damnauit. Ille enim te nunc diuinis verberibus agit, in cuius conſpectu cum tuis legionibus tremens clamabas: Quid nobis & tibi Ieſu fili Dauid? veniſti ante tempus torquere nos. Ille te perpetuis flammis vrget, qui in fine temporum dicturus eſt impijs: Ite maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & angelis eius. Tibi enim impie, & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es maledicti homicidij princeps, tu auctor inceſti, tu ſacrilegorum caput, tu

artium pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscenitatis inuentor. Exi ergo impie, exi scelerate, exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum voluit esse Deus. Sed quid diutius moraris? Da honorem Deo Patri omnipotenti, cui omne flectitur genu: da locum Christo Iesu, qui pro homine sanguinem suum fudit: da locum Spiritui sancto, qui te per beatum Apostolum suum Petrum manifestauit in Simone: qui fallaciam tuam in Anania & Saphira condemnauit: qui te in Herode Rege honorem Deo non dante percussit: qui te in Elyma mago per Apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perfudit: & per eundem de Pythonissa imperans exire præcepit. Discede ergo nunc, discede seductor, tibi enim eremus sedes est; tibi habitatio serpens est, humiliare, prosternere, non est iam differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus proximat citò, ignis ante ipsum ardebit, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Si enim hominem fallis, Deum non potes irridere. Ille te eijcit, cuius oculis nihil occultum est, ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt, ille te excludit, qui tibi, & angelis tuis æternam præparauit gehennam, de cuius ore exiet gladius bis acutus, qui venturus est in eodem Spiritu sancto iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Item alia oratio.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, in tuo nomine, & in tua virtute confidens diuinam potentiam tuam inuocans deprecor, vt per signum Iesu Christi filij tui Domini nostri hic immundus spiritus à creatura Dei expellatur. Quicunque vel vndecunque es immunde spiritus, interdicitur tibi per Deū cœlorum, per Deum Angelorum, per Deum Archangelorum, per Deum Prophetarum, per Deum Apostolorum, per Deum Martyrum, per Deum Confessorum, per Deum Virginum, per moderatorem & rectorem totius creaturæ, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, vt recedas ab hoc famulo Dei. Adiuraris spiritus immunde per Deum viuum, qui palmo mensus est cœlum, & pugno cōprehendit orbem terræ: quem contremiscit cœlum & terra, quem Angeli, & Archangeli, quem horrescit caligo, quem tremunt fundamenta montium, & vniuersa terra, de sub cuius pede exeunt tonitrua, coruscationes, fulgura, pluuiæ, venti; qui sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, vt huic creaturæ Dei vltrà nō præsumas imminendo nocere. Ecce enim Deus omnipotens veniet in nubibus cœli cum exercitu Angelorum, & ardebunt montes, & sicut cera liquescent, & campi vt sulphur, & vt bitumen ipsum mare exardescet, flumina exsiccabuntur, & plura libamina deficient ante conspectum claritatis suæ. Tu vbi effugies, & vbi tunc te celabis immunde spiritus ante iram Dei, vel ante iram Agni, dum insurrexerit ventilare terram? Per ipsius nomen & virtutem coniuro te immundissime spiritus, qui passus est sub Pontio Pilato, cuius gutta sanguinis in terram cecidit, & contremuit om-

nis

nis terra, qui Lazarum suscitauit à mortuis, qui paralyticum curauit, claudos currere fecit, sicut ceruum, cæcos illuminauit, & puerum Centurionis sanauit, leprosos mundauit, mulierem à profluuio sanguinis liberauit, vt famulo eius incolumi relicto, concito cursu exeas, & post hæc tuis versutijs lacessere non apponas. sit liber ab omni tentatione diabolica, vt pristina sanitate recepta mereatur laudare nomen sanctum suum. Qui viuit.

Oratio.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus, qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu Creator cœli & terræ, qui verus Rex es, & cuius Regni non erit finis, humiliter maiestati gloriæ tuæ supplico, vt hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per.

Alia oratio.

OMnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo: da ei veram humilitatem, veram patientiam, veram pœnitentiam, atque veritatem; & relinquere vanas pompas diaboli, & angelorum eius, & omnes subiectos socios eorum. Et sicut liberare dignatus fuisti Adam de inferno, Petrum de carcere, Paulum de vinculis, Theclam de bestijs, Susannam de falso crimine, paralyticum de grabato, Lazarum de monumento, populum Israeliticum de medio mari, Ionam de ventre ceti, Loth de Sodomis, tres pueros de camino ignis ardentis Sidrach, Misach, & Abdenago, Danielem de lacu leonum, & Dauid de gladio maligno, Mariam Magdalenam de septem dæmonijs: ita eum liberare digneris Domine ab antiquo persecutore. Per.

Alia oratio.

ORemus te Deus omnipotens, vt spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc famulo tuo N. sed vt fugiat, & non reuertatur. Ingrediatur in eum Domine te iubente bonitas, & pax Domini nostri Iesu Christi, per quem redempti sumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum est. Qui viuit.

Alius Exorcismus qui legitur Romæ in sancto Petro ante Columnam Domini.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & vsque in seculum.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Deus, propitius esto mihi peccatori, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis tuæ venire: suscipe orationem meam, quam pono ante conspectum clementiæ tuæ, pro famulo tuo N. qui à dæmonio vexatur: & eum ad misericordiam tuam peruenire concede. Per Christum Dominum nostrum.

EXi ab eo, Satana, & da locum Spiritui sancto paraclito: exi foras, spiritus immunde, ab hac creatura Dei N. in nomine Iesu Christi.

ORemus, fratres charissimi pro hac creatura Dei N. quæ secundùm carnem ab infirmitate vexatur: vt desuper illi mittat Deus Angelum pacis, & Angelum salutis cum medela cœlesti, vt eam visitare, & corroborare dignetur. Per Christum Dominum nostrum.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per impositionem manuum mearum, virtute Dei, refugiat diabolus ab vniuersis compaginibus membrorum istius creaturæ Dei N. in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui nos suo sanguine redemit. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Oratio.

DOmine Iesu Christe, cui omnia subiecta sunt: quem omnis creatura, & omnis natura expauescit, te inuocamus, cuius audito nomine serpens mansuescit, & draco in fugam pellitur, vipera statim compescitur, scorpius extinguitur, regulus vincitur, & omnia venenata, & noxia animalia tenebrarum, & omnes aduersæ naturæ mansuescunt. Tu, Domine Iesu Christe, extingue hunc venenosum serpentem: virtutem eius extingue, operationes eius mortifica: quas in se habet nequitias euacua: & da in conspectu tuo his, quos tu creasti oculos, vt videant: aures, vt audiant gratiam tuam: cor, vt magnitudinem tuam intelligant, Saluator mundi. Qui viuis, & regnas in vnitate.

Oremus. Oratio.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi: te inuoco, & nomen sanctum tuum, ac præclaræ maiestatis tuæ clementiam supplex deposco, vt mihi auxilium tuum præstare digneris aduersus hunc nequissimum spiritum: vt vbicunque sit, audito nomine tuo, velociter exeat, & recedat. Per Christum Dominum nostrum. Adiuratio.

IPse tibi imperat, maledicte diabole, qui ventis, ac mari, & tempestatibus imperauit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum redire

dire præcepit. Audi ergo, Satana, & time, & victus, & proſtratus recede, adiuratus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tu ergo, nequiſſime ſpiritus, qui es inimicus humani generis, mortis raptor, iuſtitiæ declinator, malorum radix, fons vitiorum, ſeductor hominum, percuſſor gentium, incitator inuidiæ, cauſa diſcordiæ, origo auaritiæ, excitator dolorum, magiſter dæmonum: quid ſtas, & reſiſtis Sanctis, cùm ſcias eum tuas perdere vires, qui in Iſaac eſt immolatus, in Ioſeph venundatus, in Agno occiſus, & in cruce Crucifixus: deinde es ab eo ſuperatus: recede in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠ & da locum Spiritui ſancto per hoc ſignum ſanctæ Crucis ✠ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Oſanna in excelſis, qui illum Satanam refugam tyrannum deputaſti gehennæ, qui vnigenitum tuum in hunc mundum miſiſti, vt illum rugientem leonem contereret: velociter attende, & accelera, vt eruas hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam formatum, à ruina, & dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum ſuper beſtiam, quæ exterminauit vineam tuam: da fiduciam ſeruis tuis, contra hunc nequiſſimum ſpiritum fortiter ſtare, ne contemnat ſperantes in te, quia tu es Deus ſolus: & non dicat, ſicut olim dixit, Deum non noui, & Iſrael non dimittam. Vrgeat illum, Domine, potens dextera tua diſcedere à famulo tuo N. nec diutiùs præſumat tenere captiuum hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in fine ſeculi per ſanguinem Filij tui redemiſti. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui venturus eſt iudicare viuos, &c. Coniuratio.

Adiuro te, ſerpens antique, per iudicem viuorum, & mortuorum: per factorem mundi, qui habet poteſtatem mittere te in gehennã, vt ab hoc famulo Dei N. qui ad Eccleſiæ ſuæ currit præſidia, feſtinus diſcedas. Adiuro te, non per meam infirmitatem, ſed per virtutem Spiritus ſancti: vt exeas ab hoc famulo Dei N. quem Dominus Ieſus Chriſtus fecit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Cede, cede, cede, non mihi, ſed miniſtro Chriſti. Illius enim te vrget poteſtas, qui te affixus in fronte ✠ cruci, ſubiugauit ſuo imperio. Illius brachium contremiſce, qui de cunctis gemitibus inferni animas iuſtorum ad lucem perduxit. Sitq. tibi terror corpus hominis: ſit tibi terror imago Dei, nec reſiſtas, nec moreris diſcedere ab homine iſto; quia complacuit Deo, vt in homine habitaret. Et ne me infirmiſsimum contemnendum putes, dum me peccatorem eſſe cognoſcis: Imperat tibi Deus, imperat tibi maieſtas Chriſti, imperat tibi Deus Pater, imperat tibi Deus Filius, imperat tibi Deus Spiritus ſanctus; imperat tibi fides ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & cæterorum Apoſtolorum. Imperat tibi ſanguis Martyrum, imperat tibi Sacramentum in fronte ✠ crucis. Imperat tibi myſteriorum virtus, imperat tibi Ieſus Nazarenus,

nus, imperat tibi Verbum, quod caro factum est. Exi transgressor, exi seductor: exi plene omni dolo, & fallacia, veritatis inimice, da locum durissime, da locum spurcissime, da locum impijssime, da locum Iesu Christo, in quo nihil inuenisti de nefandis operibus tuis: qui te expoliauit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligauit, & vasa tua diripuit, qui te proiecit in tenebras exteriores, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed nunc quid, turbulente, cogitas? quid, temerarie retractas? Reus omnipotenti Deo, cuius statuta transgressus es. Reus Iesu Christo filio eius, quem temerariè ausus es tentare, & crucifigere præsumpsisti. Reus humano generi, cui tuis persuasionibus mortis fructum propinasti. Adiuro te, draco nequissime, ✠ in fronte, in nomine Agni immaculati, qui ambulat super aspidem, & basiliscum: qui conculcat leonem, & draconem: vt discedas ab homine isto, discedas ab Ecclesia Dei. Contremisce, & fuge, inuocato nomine illius, quem inferi tremunt: cui Virtutes cœlorum, & Potestates subiectæ sunt: quem Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus laudant dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Iesus Nazarenus, qui te, cùm discipulos eius contemneres, elisum, & prostratum exire iussit de homine: quo præsente cùm te ab homine separasset, nec porcorum gregem præsumebas contingere. Recede ergo nunc adiuratus in nomine Dei ✠ in fronte, ab homine isto, quem ipse plasmauit. Durum est tibi Christo velle resistere: durum est tibi contra stimulum calcitrare: quia quantò tardiùs exis, tantò magis tibi supplicium crescit, quia non hominem contemnis, sed illum, qui est dominator viuorum, & mortuorum. Qui venturus est iudicare viuos &c.

Initium sancti Euangelij secundùm Ioannem. In principio erat Verbum, & Verbum erat &c. vt suprà.

Recede ergo, diabole, à capite, à capillis, à lingua, à sublingua, à dorso, à collo, ab humeris, à femoribus, à pectore, à stomacho, à corde, à brachijs, à ventre, à manibus, & cruribus, à tibijs, à genibus, à pedibus, ab intestinis maioribus, & minoribus. Separa te à famulo Dei, sicut Deus separauit cœlum à terra, lucem à tenebris, veritatem à mendacio, bonum à malo, dulce ab amaro. Sic eris separatus, immundissime spiritus, ab homine isto: quia vincit Christus, & potentia eius, quam tu vincere non potes: sed vincat te Dominus noster Iesus Christus, teq. condemnari faciat in sempiternum, & descendat ad nos gratia pietatis suæ. Qui venturus est iudicare viuos. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi: te supplices deprecamur: impera diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, quem filius tuus vnigenitus redemit suo sanguine, vt ab eo recedat. Libera eum, vt expurgatus ab omni sorde iniquitatis, maiestati tuæ, pura mente deseruiat, consecutus gratiam Spiritus sancti. Qui viuis, & regnas Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Repelle,

REpelle, Domine, ab hoc famulo tuo N. omnem infestationem inimici: vt redintegrata sua pristina sanitate ad gratiarum tuæ clementiæ redeat actionem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Adiuratio.

ADiuro te, & contestor, diabole, per nomen Domini nostri Iesu Christi, & per imperium eius, & per virtutem, & potentiam sanctæ Trinitatis: vt exeas, Satana, & omnis diabolica potestas, ab homine isto absque læsione animæ, & corporis sui: vt exeas omnino, nec stare, nec destruere, nec latere, nec sæuire in corpore istius hominis, in spiritu, vel anima, aut vestimento præsumas: sed profugias, & recedas: nullumq́. vestigij tui signum, aut dolorem in anima istius, vel carne, vel ossibus, derelinquas. Exi immunde spiritus, quicunque es, aut vnus, aut plures, quodcunque sit tibi nomen. Exi velociter de capite, de capillis, de fronte, & de omni compagine membrorum eius: neque per vllum argumentum, aut calliditatem te celare præsumas: neque quæ sunt eius, contingas, aut abscondas, non vestimenta illius, non iumenta, non pecora: sed catenatus, & refrænatus per imperium, & potestatem, & regnum Domini nostri Iesu Christi creatoris mundi, tu exul effugias, & partem illam petas, vbi nullam creaturam Dei lædere præsumas. Da honorem Deo omnipotenti, sub cuius imperio omnia nominantur, cui insensibilia obediunt elementa. Virtus eius te expellat, & te exire cogat cum omni turba, qui de Magdalena septem fugauit dæmonia, qui *Marci 16. c* regna mortis per te inuenta destruxit, & de potestate tua electos suos abstulit. Ipse est rex gloriæ, qui ex ore patris prodijt ante Luciferum. Qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

TE deprecamur, te inuocamus, omnipotens Deus, sancta Trinitas: vt hominem istum pietatem tuam petentem iubeas emundari ab omnibus insidijs dæmonum, & doloribus visionum eorum. Et petimus etiam, vt sancta virtus tua, Domine Iesu, roboretur in homine isto, & corroborare eum digneris ad vitam æternam. Nam legimus in Euangelio sancto tuo, quòd cum omni imperio suo Dominus Iesus spiritus immundos eijciebat: vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras, & ægrotationes nostras portauit, & liuore eius plagæ nostræ sanatæ sunt. Tu es, Domine, Saluator mundi, qui Apostolis tuis sanctis, & omnibus in te credentibus potestatem dedisti, vt spiritus immundos eijcerent, & curarent omnes languores, & infirmitates, per inuocationem sancti nominis tui. Tu dixisti: Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Tu, Domine, dixisti: Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis pater vester de cœlo dabit bona petentibus se? Tu dixisti: Si habueritis fidem, & dixeritis monti huic, Transi, transibit. Nos credimus te Deum esse omnipotentem, & apud te omnia possibilia

ſibilia ſunt. Te igitur ſanctam Trinitatem inuocamus, exaudi nos. Te Saluatorem noſtrum petimus propter nomen ſanctum tuum, vt hunc ſeruum tuum ab omni incurſu dæmonum emundes, & omnem infirmitatem quam gerit in anima, vel in corpore, medicina tua ſancta ſanes. Tu, Domine, dixiſti: Non eſt ſanis opus medico, ſed ægrotis. Et dixiſti non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Tu es verus Deus, & bonus cum Patre, & Spiritu ſancto, mediator Dei, & hominum, & propitiator pro peccatis noſtris: omnipotens, ab omnipotente genitus ante ſecula. Mitte ergo ſanctos Angelos tuos, ſanctum Michaelem, ſanctum Gabrielem, & ſanctum Raphaelem: vt adſint, & defendant hominem hunc, quem tu manibus tuis plaſmaſti: cui tu animam donaſti, & ſanguinem pro ipſo fundere dignatus es, & protegant illum vigilantem, & dormientem, ab omni infeſtatione diabolica. Ita reddant illum quietum, tranquillum, ac ſecurum, vt nullam in eum poteſtatem deinceps habeant ſpiritus iniqui: nec in eum ingredi præſumant, neque animam, neque corpus eius lædere, fatigare, aut terrere, aut etiam tentationibus titillare præſumant. Qui viuis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen. Oremus.

Deus conditor, & defenſor humani generis, qui hominem ad ſimilitudinem tuam formaſti: reſpice ſuper hunc famulum tuum N. qui dolis inuidi ſerpentis appetitur: quem vetus aduerſarius, & hoſtis antiquus formidinis errore circumuoluit, & ſenſum mentis ſtupore defigit, atque terrore conturbat, & motu trepido timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, & fallaces inſidias eius amoue, vt impius tentator effugiat: ſitq. nominis tui ſigno ✠ famulus tuus in anima tutus, & corpore. Tu pectoris eius ✠ interiora cuſtodias, viſcera ✠ regas, cor ✠ confirmes. In anima ✠ aduerſariæ poteſtatis tentamenta euaneſcant. Da, Domine, ad hanc inuocationem nominis tui, gratiam: vt qui hucuſque terrebat, territus exeat, & victus abſcedat: tibiq. poſsit hic famulus tuus corde firmato, & mente ſincera debitum præbere famulatum. Per eum qui venturus. Adiuratio.

Adiuro te per Deum altiſsimum, maledicte Satana, qui famulum ſuum artibus tuis tentare niteris, ne illum violenter teneas. Contremiſce immundiſsime ſpiritus, initium omnium malorum, tranſgreſſor bonæ viæ, & veritatis, ac iuſtitiæ perſecutor, auctor fornicationis, ſeminator zizaniorum, diſsipator pacis, ſator diſcordiæ, peſsime dux tenebrarum, mortis inuentor, & ianua inferni, vorago gentium, omniumq. malorum cauſa: ſepara te à famulo Dei, ſicut eſt ſeparatum cœlum à terra, mors à vita, Septemtrio à Meridie, lux à tenebris, veritas à mendacio, bonum à malo, iuſtitia ab iniquitate, caſtitas ab impudicitia; ita, & tu ſic te ſepara, maledicte Satana ab homine iſto N.

Ergo da honorem Deo, maledicte Satana, & exi ab homine iſto, vt Spiritus ſanctus perſeueret in eo. Per eum qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Ore-

Oremus.

OBsecro te, Domine Iesu Christe, vt exeant omnes languores ab omnibus membris istius, à capite, à capillis, à cerebro, à fronte, ab oculis, ab auribus, à naribus, à genibus, ab ore, à lingua, à dentibus, à faucibus, à gutture, à collo, ab humeris, à corde, à stomacho, à lateribus, à carne, à sanguine, à tibijs, à pedibus, à digitis, à planta, à medulla, à neruis, à cute, & ab omni compagine membrorum eius. Exaudi me, Domine, miserum peccatorem: tibi sit virtus, & potestas, & imperium in secula seculorum. ℟. Amen.

Exorcizatio.

EXorcizo te, immunde spiritus, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in nomine Iesu Christi ✠ filij eius, & in virtute Spiritus sancti ✠ vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipse tibi imperat, maledicte, & damnate, qui siccis pedibus supra mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit: qui cœco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento resuscitauit. Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam: & da honorem Deo viuo, & vero: & da honorem Iesu Christo filio suo, & Spiritui sancto paraclito: & recede ab hoc famulo Dei N. per hoc signum sanctæ crucis: ✠ quod nos fronti eius damus. Tu maledicte diabole nunquam eum audeas violare, & in eo ampliùs non præsumas stare. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus Moysis, Deus Aaron, Deus Tobiæ, & Deus omnium Prophetarum: tu hunc famulum tuum de tentationibus diaboli eripere digneris. Et quia ipsi immundi spiritus ab initio fuerunt fallaces, & falsè egerunt, & in veritate non steterunt, sed in omni malitia, iniquitate, & superbia, & vanitate, atque cupiditate manserunt: ideo iube, Domine Deus clemens, Angelos tuos benignos adesse, qui expellant inimicos malignos. Et isti serpentes crudelissimi antiqui voraces languescant cum consortibus, & subiectis omnibus socijs eorum. Et sicut percussisti in ira, & furore tuo Sodomam, & Gomorrham, sic percutias inimicos aduersarios tuos, qui hunc famulum tuum decipiunt, vt eum fatigare, & decipere non possint, nec latere in corpore, quod non fecerunt, nec in anima, quam non dederunt, nec in vlla compagine membrorum eius. Et quomodo tu, Domine, de limo terræ eum formasti, & in eo neruos composuisti, & spiritum tradidisti: ita præsta nobis, quæsumus, Domine, misericordiam tuam poscentibus, vt exploratores seduli, seductores gentium, laquei mortis, filij tenebrarum, damnati iubente te, Domine Deus noster, potestatem non habeant hunc famulum tuum N. fatigare, nec contristari, nec desperatum facere, nec mortem ei tradere: sed isti destructores gentium, destructores membrorum per gloriam nominis tui, Domine, & filij tui Domini nostri Iesu Christi, & crucem ✠ in qua pependit, sicut stipulæ ante faciem venti, & sicut ligna, comburantur

tur ab igne inferni: ſicut ros,& nix ante radium ſolis perit,ſic pereant, & defluant, & diſſipentur à corpore, & anima famuli tui: & pereant per loca arida, & deſerta, vbi ſancti, & iuſti non habitant: quia tu, Domine, non argento, neque gemmis pretioſis emiſti nos, ſed ſancto corpore, & ſanguine filij tui, per paſſionem crucis redemiſti. Proinde nunc non habeant poteſtatem inimici tui, & aduerſarij tui in famulo tuo nocere, neque iniuriare: ſed recedant cum omni nequitia eorum. Et ſicut ſeparaſti, Domine, lucem à tenebris, iuſtitiam ab iniquitate, mendacium à veritate: ſic eos, Domine, iubeas exire, & ſeparari ab anima, & corpore famuli tui N à capite vſque ad pedes, per omnem compaginem membrorum eius. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

Adiuratio.

ADiuro vos ſpiritus, & angeli maligni, & perſecutores Chriſtianorum, Per Patrem, ✠ & Filium, ✠ & Spiritum ſanctum ✠ per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti: per annuntiationem Gabrielis Archangeli ad Mariam virginem: per natiuitatem Domini, per infantiam, & perſecutionem ab Herode: per paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti: per patibulum crucis eius, per ſanguinem eius, per ſepulcrum eius, per reſurrectionem eius, per aſcenſionem eius in cœlum, & per aduentum eius ad diem iudicij, & iuſtum iudicium iudicandi inter iuſtos, & peccatores: & per omnes etiam virtutes cœlorum, & per choros Angelorum, Archangelorum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, atque omnium Sanctorum Dei, vos dæmones coniuro, vt non habeatis poteſtatem fatigandi hunc famulum Dei N. Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, petimus humili prece diuinam clementiam tuam: vt famulum tuum N. quem conſpicimus ab antiquo hoſte Satana grauiter tentari, & ſenſum ſuum perturbari, atque vexari: ab eius impetu clementer eripias: & hominem tuis manibus formatũ, à ruina, & dæmonio meridiano eruas: & abeat per baptiſmatis Sacramentum dæmon conuictus: & qui nomen ſanctum tuum confitetur, nulla poſſit aduerſitate diabolicæ tentationis auerti. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

AVdi ergo, ſpiritus immunde, quia tibi interdicitur figura Dei, ſicut confirmauit Dominus mari terminum, liberauit hominem de morte: ita Chriſtus liberet hunc famulum ſuum N. de inimicis ſuis. Eſt enim vera promiſſio Dei facta, qui in cœlis eſt, & in nobis ſignatum eſt nomen Domini. Chriſtus natus, Chriſtus paſſus, Chriſtus à mortuis reſurrexit, qui pro nobis pependit in ligno, qui liberauit tres pueros de camino ignis, Sidrach, Miſach, & Abdenago, & Danielem de lacu leonum: ipſe liberet hunc famulum ſuum N. de poteſtate inimici. Per eum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

Ore-

Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui dedisti potestatem discipulis tuis super omnia dæmonia, vt eijcerent ea de corporibus obsessis: & dixisti eis, si haberent fidem, saltem vt granum sinapis, nihil eis impossibile fore: & nullum esse tam forte dæmonium, quod non fugeret, audito nomine sancto tuo. Nos indigni serui tui, fidem tuam quidem seruamus, & inuocamus nomen sanctum tuum super hunc famulum tuum N. quem vexat diabolica sæuitia: vt per virtutem tuam diabolum conteras, atque euellas; vt eijcias illum draconem de corpore huius facturæ tuæ, & fiat deinceps hoc corpusculum mundum, & expiatum à dæmone, quod baptismi aqua dudum abluit, & purificauit. Per te, Christe Saluator mundi. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus.

TRibulationum optime terminator Deus, famulum tuum N. à pessimis dæmonibus tua permissione obsessum libera: vt adiutorio clementiæ tuæ mundus, ab omnibus impugnationibus dæmonum liberetur. Per Dominum.

Exorcizatio.

EXorcizo te, immunde spiritus, draco basilisce, serpens noxie, per Deum patrem omnipotentem, per Verbum veritatis, & per signum sanctæ crucis ✠ Iesu Christi Nazareni, & per Agnum immaculatum, de altissimis progressum, de Spiritu sancto conceptum, de virgine Maria natum, quem Gabriel Archangelus nuntiauit venturum, vt recedas ab hoc famulo Dei N. Adiuro te per eum, quem Ioannes videns exclamauit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixerat: Post me venit qui ante me factus est: cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.

Exorcizatio.

EXorcizo te, diabolicæ potestatis inuentor, & malitiæ, cum satellitibus tuis: præcipiens tibi in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti: ✠ in nomine gloriosissimæ Trinitatis, cui nouem ordines Angelorum, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus, Cherubim, & Seraphim, Patriarchæ, & Prophetæ, Apostoli, & omnes Sancti dant honorem, & gloriam: qui diebus, ac noctibus proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens: vt recedas, & repellaris ab hac creatura Dei N. cum omnibus infestationibus tuis, necnon malitiæ tuæ artibus: ita vt vbicunque creatura ista fuerit cum sigillo sanctissimæ Crucis, ✠ aut aspersione aquæ benedictæ, ibi omnes inuentiones tuæ malitiæ effugentur, & nullus eis locus relinquatur. Per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos.

Exorcizatio.

Exorcizo te, immunde spiritus, per Deum omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: vt exeas ab hoc

famulo Dei N. Proinde omnis virtus aduersarij, & omnis exercitus diaboli, omnisq. incursus inimici, & omne phantasma diaboli eradicare, explantare, atque effugare ab hac creatura Dei, quam Deus, & Dominator noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam vocare dignatus est, vt fiat templum Dei, & Spiritus sanctus habitet in eo, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen. Exorcizatio.

EXorcizo te, spiritus immunde. Exi ab hac creatura Dei per inuocationem Domini nostri Iesu Christi. Non tibi impero ego peccator, sed tibi imperat Agnus immaculatus Iesus Christus Dominus noster, Dei Filius: vrgent te Angeli, vrgent te Archangeli, vrgent te Apostoli, vrgent te Martyres, vrgent te Confessores, vrgent te Virgines. Deficiant vires tuæ diabolicæ artis, in die, in nocte, in hora, in momento. Redde fortitudinem membris, redde animæ sanitatem. Non repetas, non morti tradas, non in esca, non in potu, non in locis publicis, vel occultis ei noceas: non superuenias vigilanti, nec dormienti: nec te moueas, nec impedias quærentem vitam æternam. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.

NEc te lateat, Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij sempiterni: diem qui venturus est velut clibanus ardens: in quo tibi atque vniuersis Angelis tuis sempiternus erit interitus. Et ideo pro tua nequitia, damnate, atque damnande, da honorem Deo patri omnipotenti, da honorem Iesu Christo Filio eius, da honorem Spiritui sancto, in cuius virtute præcipio tibi, quicunque es, vnus, aut plures, vt exeas, atque recedas ab hoc famulo Dei N. vt eum Deo suo reddas, quem Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam vocare dignatus est. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Oremus.

TE ergo, Domine Deus noster, supplices exoramus: vt visitatione tua sancta eripias famulum tuum N. ab aduersario: nec eum permittas vsque ad læsionem animæ peruenire: sed sicut in Iob terminum posuisti, ita etiam pone in isto famulo tuo N. ne inimicus tuus in anima ista triumphare incipiat.

VNde, maledicte Satana, recognosce sententiam tuam: da honorem Deo ✠ viuo, & vero: da honorem Iesu ✠ Christo Filio eius, & Spiritui ✠ sancto paraclito, & recede ab hoc famulo Dei N. Tibi præcipio, damnate immunde spiritus, hostis humani generis, per Deum patrem omnipotentem, inuisibilem, incomprehensibilem, atque immortalem, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, eradicare ab hoc famulo Dei N. ita vt vltra in eo locum non habeas, nec sit in eo contrariæ virtutis immixtio: sed tu, Deus omnipotens, propitius esto, vt corpus à dæmonibus obsessum, à tota nequitia diabolica, gratia tua eximatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos &c.

Exemplar Card. Bellarmini ad pag. 6c4 Sequen-
aliud vero Praesulis Coccini ad pag. 708 producitur

Sequentia Sancti Euangelij secundum Matthæum. In illo tempore: Cum introisset Iesus Capharnaum.

Si adhuc malus Spiritus uexauerit infirmus, dicantur septem Psalmi pænitentiales, et Lytaniæ cum suis orationibus, uel Psalmi sequentes, et fiant orationes cum magna deuotione, et humilitate.

Psal. X. In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in Montem.

Psal. LI. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Psal. LXVII. Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius: et fugiant.

Psal. LXIX. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Deindè sæpius repetantur isti uersus sequentes, et signetur energumenus cum Cruce, et ad singulos uers. assistentes, et Clerici respondeant.

Vicit Leo de tribu Juda radix David.

℣. Ecce Crucem ✠ Domini, fugite partes aduersæ.

℟. Vicit Leo de tribu Juda radix Dauid.

℣. Ecce ne[illegible]pillum redemptionis nostræ: ideo fugite partes aduersæ.

℟. Vicit Leo de tribu Juda radix David.

℣ Ecce signum confusionis uestræ: ideo fugite partes aduersæ.

℟ Vicit Leo de tribu Juda ut supra.

Exorcismus S. Martini Episcopi super eos, qui à Dæmonio uexantur.

Ex imperio Dei Omnipotentis, et Iesu Xpi Domini Nostri, passione, ac resurrectione eius,

tibi Summi furoris, et iniquitatis, et omnis inuidiæ auctori; (qui sub sigillo Salomonis fuisti termenata Dei Omnipotentis) quicunque es aut undecunque es immunde Spiritus, siue de inferno, siue de aere, siue de monumentis, siue de speluncis, siue de paludibus, siue de locis aquosis siue de riuis, siue de vijs, siue de inuijs, siue de syluis, siue de imis, siue de summis, siue de cauernis; interdicitur hæc imago Dei: per Deum quoque Cælorum omnium uirtutum, per Deum Creatorem et moderatorem totius creaturæ interdicitur tibi, et sodalibus tuis, et omnibus Angelis contrarijs hoc plasma Dei Omnipotentis. Nunc ergo adiuro te immunde Spiritus per aduentum Domini Nostri Iesu Christi, ut tollas te, et exeas ab omnibus membris istius famuli Dei, à capite, à capillis, ab humeris, à collo, à bracijs, à dorso à scapulis, ab interioribus partibus, à uentre à genibus, à cruribus, à plantis, et reliquis omnibus membris, quæ Dominus Noster Iesus Christus ad suam similitudinem compaginare dignatus est. Adiuraris immunde Spiritus per Deum uiuum, adiuraris per Deum verum, adiuratus sis per Deum Sanctum, qui palmo mensurauit terram, quæ eius pugillo comprehensa contremuit. Ita et tu inuide serpens contremisce uirtutem Dei Omnipotentis, quem contremiscit Cælum, et terra, mare, et omnia, quæ in eis sunt: quem contremis-

contremiscunt Angeli, et Archangeli, quem contremiscit omnis creatura, quem contremuit Sodoma, et Gomorrha, et omnia fundamenta terræ. Interdicitur tibi immunde Spiritus hæc imago Dei per eum, qui sedet in throno Regni, sub cuius pedibus exeunt coruscationes, venti, et tonitrua. Per ipsius nomen adiuraris, atque constringeris, de quo pronunciavit Ioannes in Apocalypsi dicens: vidi illum sedentem inter septem candelabra aurea, indutum podere, atque cinctum Zona sub mammillis suis: capilli eius albi, velut nix, aspectus eiusque ut flamma ignis: vox eius velut vox aquarum multarum, pedes eius similes auricalco. Ex ore eius exibat gladius ex utraque parte acutus, unde te interficere habet. Proinde vane, et immunde Spiritus per eum adiureris, qui dignatus est baptizari aquis Iordaniis, et super quem Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit. Ipsius nomine interdicitur tibi immunde, et erratice Spiritus, ut nullo modo præsumas nocere huic famulo Dei N. neque in dolore, neque in insania, neque in vulneribus, neque in aliquo maleficio, neque ambulanti, neque stanti, neque iter agenti, neque vigilanti, neque dormienti, neque dum manducat, et bibit, neque cum aliquod opus facit, quia creatura, et plasmatio Dei Omnipotentis est.

Ergo maledicte Diabole æterna combustioni damnande, quid acturus es, quando ipse Rex æternus veniet in nubibus Cœli in potestate

magna, et maiestate cum exercitu Angelor., et Archangelor., et cū omnibus uirtutibus cœlestium Spirituum. Tunc omnes montes ardebunt sicut cera, et campi fulgurabunt, ut bitumen Cœli plicabuntur, et mare siccabitur, et omnes apparebunt in conspectu claritatis eius, et tunc fugies ante faciem eius. Vbi te celabis, ubi abscondet is immunde Spiritus? Vbi poteris latitare ante iracundiam Dei, cum uenerit iudicare uiuos, et mortuos, in cuius iudicio damnandus eris pæna perpetua? Ideo interdicitur tibi immunde Spiritus honorabilis hæc Imago Dei. Interdicit tibi nomen christianitatis. Interdicitur tibi plasmatio Dei, de eo, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, et in eadem Carne passus, mortuus, et sepultus, et resurrexit. Per ipsius nomen qui pedibus siccis super mare ambulauit, et Petro mergenti dexteram porrexit, uentis, et fluctibus imperauit, interdicit tibi immunde Spiritus, ut nullo modo audeas nocere huic famulo Dei N., quem pretioso sanguine liberauit idem Christus Iesus Dominus Noster. Qui uenturus.

Postea signet eū in manu dextera, dicens

Accipe Signum Crucis ✠ in manu dextera tua in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti Pax tecū. ℟. Amen.

Deinde in sinistra manu dicens.

Signo Crucis ✠ Saluatoris Domini Nostri Jesu Christi in manu sinistra signo te

Ad Linguam nisi sit mulier ita:

Signo Crucis ✠ Redemptoris Domini Nostri Jesu Christi in Lingua signare.

Ad Frontem hoc modo

Signaculo Crucis ✠. Domini Nostri Jesu Christi in fronte signare. Signo te in nomine Dñi nostri in fronte, ut confidas in eum.

Ad oculos.

Benedico ✠ oculos tuos, ut videas claritatem eius.

Ad aures.

Benedico ✠ aures tuas, ut audias uerbum ueritatis eius.

Ad nares

Benedico ✠ nares tuas, ut percipias odorem suauitatis eius.

Ad pectus

Benedico ✠ pectus tuum ut credas in eum

Ad os, et Labia

Benedico ✠ os tuum, et Labia tua, ut confitearis illi.

Ad pedes

Benedico ✠ pedes tuos, ut ambulent in uijs Dñi

Ad ambas manus

Benedico manus tuas, ut operentur opera Dei. In nomine Domini Nostri Iesu Christi Salvatoris qui vivit, et regnat Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Item alia signatio capitis oculorum, sive omnium membrorum.

Signo caput tuum sicut signavit Deus Omnipotens in Infirmos in Cana Galilee.

Signo oculos tuos, sicut illuminavit Dominus oculos Cæcorum, qui in Evangelis leguntur

Signo omnia membra tua, ut ab ipsis expellatur Diabolus, qui facit omnes carnes.

Benedicat te Dominus sicut benedixit quinque millia virorum extra mulieres, et Infantes

Benedicat te Dominus, sicut benedixit domus Abraha, Isaac, et Iacob.

Fiat Sanitas Domini super te, qui sanavit mulierem de fluxu sanguinis

Custodiant te Angeli, et Archangeli, et liberent te ab omnibus malis, et artificijs Diaboli.

Protegat te Deus Israel, et adijciat sanitatem, et benedictionem tibi hic, et in futuri seculo. Amen.

Missa super Dæmoniacum — oratio

Oratio

Deus inuicta uirtutis auctor, et inaestimabilis Imperij Rex, ac semper magnificus triumphator, qui inimicos suos, et aduersarios ad honorem gloriae tuae potenter expugnas: te quidem supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum expulsa immundorum Spirituum potestate ad laudem nominis tui liberare digneris. Per.

Secreta oratio.

Domine Deus uirtutum, suscipe preces, et hostias quas tibi indigni offerimus pro famulo tuo, ut indulta sibi peccatorum suorum remissione eum ab opprimentis Diaboli inuasione digneris redimere. Per.

Oratio ad Complet.

Concede quaesumus Omnipotens Deus, qui solus nostrae fragilitatis es conscius, ut cunctis tua uirtute Spiritibus immundis famulum tuum ab eorum incursione digneris redimere. Per.

Item alia Missa Oratio

Deus, qui per unigenitum tuum, expulsa dominatione Diaboli populum tibi astasti, expelle ab hoc famulo tuo cunctas diabolicae illusionis insidias, et eum illibatum ab omni eius impugnatione conserua. Per.

Secreta Oratio.

Munus nostræ humilitatis pro reparatione famuli tui N. oblatum petimus Domine dignanter assume, et ab eius impressione omnem maligni Spiritus potestatem exclude. Per.

Ad Compl. Oratio.

Cælestis hic panis, quem sumpsimus Domine, et nobis indulgentiam tribuat, et famulum tuum N. ab antiqui hostis læsione defendat Per.

Oratio super Liberatum à Dæmonio.

Quæsumus Omnipotens Deus, ut mittere digneris Sanctos Angelos tuos, qui defendant, et tueantur hominem istum, protegant illum vigilantem, illuminent dormientem, et ab omni infestatione diabolica reddant quietum, et securum, ut nulla deinceps habeat in eum potestatem pars iniqua, non in eum ingredi, non animam uel corpus eius nequam Spiritus lædere, fatigare, uel terrere, aut tentationibus titillare præsumat. Per.

Alia Oratio.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti et filios Israel de terra Aegypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die, ac nocte; te quæ= sumus

quæsumus Domine mittere digneris Sanctum
Angelum tuum, qui similiter hunc famulum
tuum custodiat, et ab omni diabolicæ læsionis
incursu defendat. Per.

Alia Oratio.

Exorcizo te omnis incursus Satanæ, et omne
phantasma, ut recedas ab hoc plasmate Dei
cum omni malitia tua, cum sordibus et inquina-
mentis tuis, et non valeas deinceps neque
per te, neque per tuos Ministros ei illudere,
ut templum Dei esse mereatur, et Spiritus
Sanctus possit habitare in eo, et tu Belial
eradicare, et effugare longè, ut ultra nemi-
ni nocere possis adiuratus per nomen Domini
Nostri Jesu Christi Nazareni. Qui venturus.

Alia Oratio.

Domine Deus Omnipotens, qui omnia proprio
dispensas arbitrio, tu Pater clemens, tu pius
propitiator, tu mæstorum consolator, tu tri-
bulatorum fortitudo, tu ægrotantium medicus,
tu defensor tuorum plasmatum, respice de Sede
Sancta tua super hunc famulum tuum N. quem
Dæmonum malignus conturbat Spiritus; et
memor esse digneris, quia opus manuum tuarum
est, et pretioso tuo sanguine eum redimere
dignatus es; et non sinas amplius animam la-
niari diabolica fraude deceptam, sed concede,

ut medelam tuam, non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia Oratio

Omnipotens sempiterne Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, te supplices deprecamur ut imperes diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, ut ab eo recedat, et liberet eum, qui credit in verum liberatorem Dominum Nostrum Jesum Christum, ut purgata ab eo omni labe iniquitatis, Maiestati tuæ pura mente deserviat. Per.

Alia Oratio

Oramus pietatem tuam Omnipotens Deus, ut subvenire auxilium familiæ tuæ, et clementer exaudire digneris preces nostras, ut famulum tuum N. liberatum ab infirmitate valida, ad integram et pristinam iubeas reverti animæ et corporis sanitatem. Per.

Sanet te Deus Pater ✠ Omnipotens, qui te creavit: sanet te Jesus Christus ✠ qui pro te passus est: sanet te Spiritus Sanctus ✠ qui in te effusus est; sanet te fides tua, quæ te liberavit in nomine Domini Nostri Jesu Christi ✠ cui venturus est.

Alia Oratio.

Benedicat te Deus Cæli, adiuvet te Christus Filius Dei vivi: corpus tuum in suo sancto

Sancto Seruitio conseruet, mentem tuam illuminet, sensum tuum dirigat, gratiam suam ad profectus animæ in te augeat et ab omni malo te liberet qui sanctos suos semper adiuuat, ipse te adiuuare et conseruare dignetur. Qui in Trinitate perfecta uiuit.

Alius exorcismus super Dæmoniacos.

Exorcizo te immunde Spiritus, exi ab hac Creatura Dei, non impero tibi ego peccator, sed imperat tibi Agnus immaculatus Iesus Christus Dominus Noster Filius Dei Viui. Vrgent te Angeli, urgent te Archangeli, urgent te Patriarchæ, urgent te Prophetæ, urgent te Apostoli, urgent te Martyres, urgent te Confessores, urgent te Virgines. Deficiant tibi omnes artes diabolicæ: In die, in nocte, in momento, in omni hora: redde fortitudinem membris, redde animæ sanitatem, non tentes eam, non morti tradas, non in esca, non in potu, non in locis publicis, non superuenias uigilanti, nec mentem moueas, nec impedias quiescentem uitæ æternæ. Per eum, qui venturus est iudicare uiuos, et mortuos, et seculum per ignem. ℟. Amen.

Adiuro te per Deum ✠ uiuum, et per Deum ✠ Omnipotentem immundissime Spiritus, qui es inuentor malitiæ, materies criminum, origo peccati, qui

fraudibus delectaris, sacrilegiis pasceris, et caedibus gaudes; te in Domini Nostri Iesu Christi nomine increpamus, et adiuramus, per eius maiestatem, atque virtutem, per passionem, et resurrectionem, per adventum, et iudicium, ut in quacunque membrorum parte latitas, propria te confusione manifestes, exagitatusque spiritualibus plagis, et invisibilibus tormentis, vas, quod obtinuisse te credis, effugias, et expiatam post habitationem tuam Domino derelinquas. Sufficiat, quod prioribus seculis, cordibus penè per totum orbem dominatus es hominem. Iam in dies singulos destruitur regnum tuum, tuaque quotidiè usque in finem tela defficiunt. Tu na stratus Aegyptiorum plagis. Tu in Pharaone demersus, in Hiericho destructus, in septem Chananaeis gentibus stratus, tu per Sampsone in Allophylis, vel Philistaeis subiugatus, per David truncatus in Goliath, per Mardocheum in Aman expoliatus, per Danielem in Bel deiectus, in dracone punitus, per Angelum in Herode percussus, per Dominum Nostrum Iesum Christum humanis imperiis subiugatus, per Paulum caecatus in mago, ustus in vipera, per Petrum demersus in Simone, per omnes Sanctos deinceps fugaris, torqueris, illuderis, aeternis ignibus, et inferni ignibus deputatus, unde hominem Dominus Noster Iesus Christus

Ada

Adam secundus, de mortis imperio in se dum debellato triumphat, exemit; abscede inimice seductor, et posthac prohibentibus et comminantibus nobis corpus Deo dicatum ne repetas interdictum tibi sit, in nomine Patris ✠ et Filij ✠ et Spiritus S.ti ✠ in gloria Dominicæ Passionis, cuius cruore saluatus aduentum eius expectat, iudicium confitetur. Qui uiuit et regnat cum Spiritu Sancto in gloria Patris, quique uenturus est iudicare uiuos, et mortuos, et te inimice per ignem. ℟. Amen.

Alia Oratio

Domine Deus Omnipotens, qui omnia proprio dispensas arbitrio, tu Pater Clemens, tu pius propitiator, tu mæstorum consolator, tu tribulatorum fortitudo, tu ægrotantium medicus, tu defensor tuorum plasmatum, respice de Sede Sancta tua super hunc famulum tuum N., quem Dæmonum malignus conturbat Spiritus, et memor esse digneris, quia opus manuum tuarum est, et pretioso tuo sanguine eum redimere dignatus es; et non sinas amplius animam saniari diabolica fraude deceptam, sed concede, ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia Oratio

Omnipotens, sempiterne Deus Pater Domini Nostri Iesu Christi, te supplices deprecamur,

ut imperes Diabolo, qui hunc famulum tuum N.
detinet, ut ab eo recedat, et Liberet eum, qui cre-
dit in uerum Liberatorem Dominum Nostrum Iesum
Christum, ut purgata ab eo omni Labe iniquita-
tis, maiestati tuæ pura mente deseruiat. Per.

Alia Oratio

Oramus pietatem tuam Omnipotens Deus, ut præstes
auxilium famulo tuo, et clementer exaudire digne
ris preces nostras, ut famulum tuum N. Liberatum
ab infirmitate ualida, ad integram et pristinam
iubeas reuerti animæ, et corporis sanitatem.
Per.

Alia Oratio

Sanet te Deus Pater ✠ omnipotens, qui te creauit.
Sanet te Iesus Christus ✠ qui pro te passus est.
Sanet te Spiritus Sanctus ✠ qui in te effusus
est; sanet te Fides tua, quæ te Liberauit in no-
mine Domini Nostri Iesu Christi ✠. Qui uenturus
est.

Alia Oratio

Benedicat te Deus Cæli, adiuuet te Christus fili
us Dei uiui: corpus tuum in tuo Sancto Seruitio
conseruet, mentem tuam illuminet, sensum tuum
dirigit, gratiam suam ad profectum animæ in te
augeat, et ab omni malo te Liberet, qui Sanctos
suos semper adiuuat, ipse te adiuuare et con-
seruare dignetur. Qui in Trinitate perfec-
ta uiuit.

Alius

Alius exorcismus super Dæmoniacum

Exorcizo te immunde Spiritus, exi ab hac creatura Dei, non impero tibi ego peccator, sed imperat tibi Agnus immaculatus Iesus Christus Dominus Noster Filius Dei uiui. Vrgent te Angeli, urgent te Archangeli, urgent te Patriarchæ, urgent te Prophetæ, urgent te Apostoli, urgent te Martyres, urgent te Confessores, urgent te Virgines. Deficiant tibi tuæ artes diabolicæ: In die, in nocte, in momento, in omni hora: redde fortitudinem membris, redde animæ sanitatem, non tentes eam, non morti tradas, non in esca, non in potu, non in locis publicis, non superuenias uigilanti, non dormienti, nec mentem moueas, nec impedias quærentem uitam æternam. Per eum, qui uenturus est iudicare uiuos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℞. Amen.

Adiuro te per Deum ✠ uiuum, et per Deum ✠ omnipotentem immundissime Spiritus, qui es inuentor malitiæ, materies criminum, origo peccati, qui fraudibus delectaris sacrilegijs pasceris, et cædibus gaudes; te in Domini Nostri Iesu Christi noīe increpamus, et adiuramus, per eius maiestatem, atque uirtutem, per passionem, et resurrectionem, per aduentum, et iudicium, ut in quacunque membrorum parte latitas propria te confusione manifestes,

exagitatusque Spiritualibus plagis, et invisibilibus tormentis, vas, quod obtinuisse te credis, effugias, et expiatum post habitationem tuam Domino derelinquas: Sufficiat, quod prioribus seculis cordibus pene per totum Orbem dominatus es hominum. Jam in dies Singulos destruitur regnum tuum, tuaque quotidie usque in finem tela deficiunt. Tu in astatus Aegyptiis plagis, tu in Pharaone demersus, in Hiericho destructus in Septem Chananaeis gentibus stratus, tu per Sampsonem in Allophylis, vel Philisteis subiugatus, per David truncatus in Goliath, per Mardochaeum in Aman expoliatus, per Danielem in Bel directus, in dracone punitus, per Angelum in Herode percussus, per Dominum nostrum Jesum Christum humanis imperijs subiugatus, per Paulum excaecatus in mago, ustus in vipera, per Petrum dirutus in Simone, per omnes Sanctos deinceps fugaris, torqueris, illuderis, aeternis ignibus, et Inferni ignibus deputatus, unde homines Dominus Noster Jesus Christus Adam Secundus, de mortis imperio in se, dum de te triumphat, eximit; abscede inimice Laqueator, et post hac prohibentibus, et comminantibus nobis corpus Deo dicatum ne repetere interdictum tibi Sit, in nomine Patris ✠ et Filij ✠ et Spiritus Sancti ✠ in gloria Dominicae Passionis, cuius

cuius cruce saluatus aduentum eius expectat, iudicium confitetur. Qui uiuit, et regnat cum Spiritu Sancto in gloria Patris, quique uenturus est iudicare uiuos, et mortuos, et te inimice per ignem. ℟. Amen.

Exorcismi siue coniurationes contra ingruentes aereas tempestates

Exorcismus, siue Orationes, et benedictio nubium contra aereas tempestates.

Cum primum in aliqua parte Cæli apparent nubes obscuræ, seu subnigræ, et solita signa tempestatis, ut nous turbidus, et procellosus cum nimbis, fulguribus et fulminibus; uel etiam cum fragore Cæli tonat, et instat tempestas, Sacerdos, siue Curatus ipse cum Clericis suis parat ad fugandas, siue auertendas huiusmodi ingruentes tempestates.

Primo Campana magna facit pulsari ad conuocandum Populum, ad orationem, et ad nubes eius sonitu irrumpendas, et disjiciendas, et parantur Crux cum hasta, et cum luminaribus, atque etiam tabernaculum cum Sacramento, si opus fuerit, uasculum cum aqua benedicta, uel benedicenda, aspersorium, thuribulum cum igne, et incenso, et similia de more: et ipse superpelliceo indutus, et stola, Clericis etiam, et ministris cum superpelliceis adiuuantibus, benedicit aquam, et salem in hunc modum.

Exorcismus aquæ, et Salis.

℣. Adiutoriu[m] nostru[m] in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cælu[m], et Terram.

Exorciso te creatura salis et aquæ in nomine Dñi Nostri Iesu Christi Nazareni Filij Dei uiui: ut sis purgatio, et purificatio in his locis in quib[us] aspersa fueris, ad effugandos immundos, et erraticos Spiritus, omnemque nefariã uim Diaboli pellendã, et omnes figuras, et minas phantasmaticas Satanæ exterminandas, et fulgura, quæ mitti uidentur in hanc domum, arbores, agrum, possessiones, turrim, uel quamcunque habitationẽ, non hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant, sed abscedant, et fugiant per inuocationes nominis Domini Nostri Iesu Christi. Qui uenturus est iudicare uiuos, et mortuos, et Seculu[m] per ignem. ℟. Amen.

Et mox aspergat contra tempestatẽ aquã benedictã. Postea cu[m] Clero, et Populo ante Altare procumbit, dicens Septem Psalmos sequentes, uidelicet.

I. Beatus vir, qui non abijt in consilio impior[um] [...]
14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo.
53. Deus in nomine tuo.
69. Deus in adiutoriu[m] meum.
86. Fundamenta eius in montibus Sanctis.
92. Dominus regnauit decorem indutus est.
127. Beati omnes, qui timent Dominũ

Exorcismi sive coniurationes

Canticum trium Puerorum Daniel 3. Benedicite. Ter ad singulos eorum fiat signum Crucis cum Cruce contra energumenum et si videbitur, addantur etiam Psalmi paenitentiales. Quo facto Sacerdos stans dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Adiuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Fiat misericordia tua super nos Domine.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Salvum fac populum tuum Domine.

℟. Et benedic haereditati tuae.

℣. Vox Domini super aquas multas. ℟.

℟. Deus maiestatis intonuit.

℣. Viderunt te aquae Deus.

℟. Viderunt te aquae, et timuerunt.

℣. Quid est tibi mare quod fugisti?

℟. Et tu Iordanis quia conversus es retrorsum?

℣. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.

℟. Domine Deus virtutum beatus homo, qui sperat in te.

V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te ueniat.
V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus . Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui das escam omni carni, qui operis Caelum nubibus parce metuentibus, et propitiare supplicibus, ut post noxios ignes nubium, et uim procellarum, in misericordiam transeat laudis, comminatio tempestatis. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Oremus Oratio

Rex aeterni Imperij omnipotens Deus, qui das escam omni carni, qui operis Caelum nubibus, et paras terrae pluuiam; qui mandas nubibus desuper, et ianuas Caeli aperis; qui transfers Austrum de Caelo, et inducis in uirtute tua Africum; qui rigas montes de superioribus suis, et de fructu operum tuorum satiatur terra qui Angelis praecepisti, ne terrae, mari, neque arboribus nocerent, parce Domine metuentibus et propitiare supplicantibus: te enim Domine supplices exoramus, ut procul abscedat incursio turbinum, calamitas tempestatum, fragor grandinum, percussio fulminum, et quaelibet insidiae inimici: te imperentur infesta tonitrua, noxiae pluuiae, uentorum flam-

flamina fiant moderate suspensa: omnisque quoque spiritus procellarum, et aeree potestates dextera tua prosternantur virtutis: descendat quæsumus Domine desuper Spiritus Sanctus, et sicut Samuele corrigente agnum in holocaustum tuum mactante, fragor dura turbas repulit adversantes, ita fugatis omnibus contrariis potestatis virtutibus, fruges, montes, et corpora fidelium maneant semper angelica protectione superna, et post sopitos nubium impetus in laudis, et devotionis, ac spiritualis amoris augmentum transeat comminantis potestatis. Per Christum Dominum Nostrum.

℟. Amen.

Postea dicitur Pater Noster. Ave Maria, Credo in Deum.

Symbolum. Quicunque vult. supra pag. 352.

Kyrie eleeison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater Noster.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Jesu Christe, qui fecisti Cælum, et terras, mare, et omnia, quæ in eis sunt, quique flumini Jordani benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, et tuas Sanctissimas manus, et brachia in Sacratissima Cruce extendisti, quibus aerem Sanctificasti: obsecramus immensam

pietatis, et bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes quas ante me, et post me, et supra, et à dextris, et à sinistris video aere perturbare, dissoluere, et annihilare digneris, ut alligata potestas Dæmonum in ipsis desæviens deficiat, et turbetur ad laudem tui sancti nominis, et omnipotentissimæ Maiestatis tuæ. Qui uiuis, et regnas.

Postea si expedire uisum fuerit, sacerdos accipiat reuerenter, et cum luminaribus corpus Domini in Calice aut alio vase debito, et ecclesia exiens nubes in modum Crucis cum d. vase signet, dicens

Christus uincit ✠. Christus ✠ regnat. Christus ✠ imperat uobis nubes, et tempestates, ut dissoluamini sine alicuius hominis, uel animalis, aut fructus terræ, arboris, loci, uel domus damno, uel læsione. Circumdet te nubes Deus Pater ✠ Circumdet te Deus Filius ✠ Circumdet te Deus Spiritus Sanctus ✠ destruat te Deus Pater ✠ destruat te Deus Filius ✠ Destruat te Deus Spiritus Sanctus ✠. Amen.

Adiuratio

Sanctus Matthæus ✠ Sanctus Marcus ✠ Sanctus Lucas ✠ Sanctus Ioannes ✠ Euangelista, qui Christi Euangelium per quatuor mundi partes diuulgauerunt, ipsi suis meritis, et precibus sane tempestæ

contra ingruentes aereas tempestates
tempestates ab omnibus Christianorum finibus ab
eodem Domino Nostro Iesu Christo obtineant
effugari, et depelli: Et ego peccator, et Christi
Sacerdos, licet indignus auctoritate, et virtute
eiusdem Dei, et Domini Nostri Iesu Christi
Summi Imperatoris, non mea potentia innixus,
et confisus vobis praecipio immundissimi Spiritus,
qui has nebulas concitatis in virtute eiusdem
Dei, et Domini Nostri Iesu ✠ Christi, et per
tremendum eius iudicium, et per Sanctissimam
Crucem Suam ✠ quam contra vos fecit, et per me-
rita Intemeratae, semperque Virginis Beatis-
simae Mariae Dei Genitricis, et per merita om-
nium Sanctorum, ut exeatis ab eis, et eas disper-
gatis in locis desertis, quatenus nocere non
possint hominibus, vel iumentis, aut volucri,
fructibus, aut quibuscunque rebus humanis
usui deputatis. Per eundem Dominum Nostrum
Iesum Christum, qui venturus est iudicare vi-
vos, et mortuos, et seculum per ignem. Amen ✠.
Ipse vobis imperat Daemones, qui has nubes commo-
vetis, qui de nube lucida dixit ✠ Hic est fi-
lius meus dilectus, in quo mihi bene complacui
✠ Ipse vobis imperat, qui Principem vestrum
devicit, et ligavit ✠ Ipse vobis imperat,
qui sua Sacratissima Cruce et corporis sui

et obtineat, et de conuersione

Sanctissimi in ea extensione ac re purgauit ✠ Ipse vobis imperat, qui Inferno spoliato resurgens à mortuis, post quadraginta dies à nube susceptus ascendit in Cælum ✠ Ipse uobis imperat, qui uos æternæ gehennæ mancipauit ignibus: qui uenturus est iudicare uiuos, et mortuos, et seculum per ignem.

Postea ostendat Crucem in aere à quatuor Lateribus dicens:

Ecce Signum ✠ Sanctissimæ Crucis; fugite partes aduersæ ✠ uicit enim uos, et mundum Dominus Noster Jesus ✠ Christus Filius Dei Summus Imperator, qui est Leo de tribu Juda, radix David.

Postea aspergat aquam benedictam in modum Crucis per quatuor Latera: et si adhuc perseueraverit tempestas, dicendæ sunt Litaniæ.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Supra pag. 332.

Postea Sacerdos benedicat nubes, dicens.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris ✠, et Filij ✠ et Spiritus Sancti ✠ descendat super has nubes, et omnem uim inimici ab eis repellere dignetur.

℟. Amen.

Altera

Altera adiuratio, siue Oratio ad fugandas, siue auertendas ingruentes tempestates.

Adiuro uos Angeli Tartarei per Patrem ✠ et Filium ✠ et Spiritum Sanctum ✠, et per illas Sanctas coniuro uos, quas Dominus Noster Iesus Christus fuit uulneratus in Cruce, et per illos clauos, qui membra Domini perforauerunt, et per illam aquam, et sanguinem, quæ de latere Christi effluxerunt, et per illam Spineam coronam, quæ in capite Domini Nostri Iesu Christi posita fuit, et per Sanctam Resurrectionem eius, et Ascensionem, et per gratiam Sancti Spiritus ✠ Coniuro uos Spiritus maligni, ut non habeatis uirtutes neque potestates super campos nostros aliquid mali facere. ✠ Coniuro uos maligni Spiritus, per Patrem Domini Nostri Iesu Christi, et omnes Sanctos eius ✠ Coniuro uos per Sanctam Mariam Matrem Domini Nostri Iesu Christi, et per S. Michaelem, et S. Raphaelem ✠ Coniuro uos, et contradico uobis per istas coniurationes, ut non habeatis potestatem in nubibus Celi nobis nocere neque in laboribus, neque in uineis nostris, neque in ista Prouincia: ut non habeatis potestatem super Populum Christianum fundere tempestatem. ✠ Adiuro uos

per S. Joannem Baptistam, per S. Petrum, et per
S. Paulum, qui suis orationibus deiecerunt Simo-
nem Magum, et per S. Andream, et per S. Bartho-
lomaeum, et per quatuor Evangelistas S. Mat-
thaeum, S. Marcum, S. Lucam, et S. Joannem, Iterum
coniuro per communionem, et societatem Sanctorum
Civium Christi, et per duodecim millia legiones
Angelorum, et per viginti quatuor Seniores, et
omnes virtutes Angelorum, et per septem Thronos
et per septem Candelabra Christi, et per septem
donationes, et per septiformem gratiam Dei, et
per singula merita singulorum, et per Agnum
Dei Immaculatum Jesum Christum, cui est
honor, et virtus, et per omnes Angelos, qui
stant in Paradiso. ✠ Coniuro vos per verum
Deum vivum Caeli, et per Deum Angelorum,
Patriarcharum, Prophetarum, et Apostolorum, et per
Deum Martyrum, et per Deum Confessorum,
et per Deum Virginum, ut non habeatis poten-
tiam, neque virtutes in nubibus Caeli nobis
nocere, neque flagellare super Campos no-
stros, sed in loca deserta, ubi non arans arat,
nec seminans seminat. Amen ✠. Amen ✠. —
Amen. ✠.

Oratio

contra ingruentes aereas tempestates

Oratio

Deus, qui Beatae Brigidae Virgini inimicos superare concessisti, praesta nobis famulis tuis, ut intercedentibus eius oratione, atque meritis ab omni ira tempestatis liberari valeamus. Per Dominum Nostrum Iesum Christum ✠ Increatus Pater ✠ Increatus Filius ✠ Increatus Spiritus Sanctus ✠ Hagios ✠ hagios ✠ hagios ✠ Ecce Crucem ✠ Domini fugite partes adversae, vicit Leo de tribu Iuda radix David. Alleluia ✠ Alleluia ✠ Alleluia ✠ Dixit Dominus ex Basan convertam convertam in profundum maris. Domine Iesu Christe, qui caelum, et terram fundasti, et flumen Jordanis benedixisti, et in eo loco baptizari voluisti, benedicere ✠ et sanctificare ✠ pro tua pietate digneris has nubes, quas video ante me positas, ut deficiant, et transeant in aquas sanctam, et benedictam, et tempestates faciant in locis desertis, ut non noceant aliquibus fidelibus Christianis, neque eorum domesticis rebus, bonis, animalibus, neque in agris, arboribus, neque fructibus per virtute Spiritus Sancti, et merita, et orationem Beatae Brigidae virginis, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei. Amen ✠

In nomine Patris ✠ et Filij ✠ et Spiritus Sancti ✠. Amen.

Alia coniuratio contra tempestates, quæ potest fieri omni tempore, quo imminens nubes noxiæ, uel grando, et dicitur per contra nubes nociuas, seu grandines signando illas cum Cruce: uel in mari, uel in terra, uel in Vineis, uel in campis.

O nubes, et ô grando: coniuro, et præcipio tibi ✠ per Deum Patrem ✠ per Deum Filium ✠ et per Deum Spiritum Sanctum ✠ qui sunt in Substantia unus Deus: per potentiam Patris, per Sapientiam Dei Filij: et per amorem Spiritus Sancti procedentis ab utroque: per Sacram obedientiam Jesu Christi: per Sacram humilitatem Virginis Mariæ Dominæ Nostræ, per uirtutes Apostolorum, per passiones terribiles Martyrum, per nouem Choros Spirituum Celestium, per fidelem, et Sacram uitam Confessorum, per omnes mulieres, famulas, et martyres Christi, et per omnes animas beatas Cœli, per Sacram obumbrationem, quam fecit uirtus Altissimi, Beatæ Virgini Mariæ Dominæ Nostræ, per imperiale uerbum, quod fecit Christus uentis, ut cessarent, per diuisionem mirabilem maris rubri, quam fecit Potentia Diuina Populo Judæo. Per omnia ista suprascripta coniuro, et præcipio tibi ô nubes nociua, seu grando tempestatis, quod in signo huius Sacræ Crucis ✠ quam contra te facio: in diuisa repente recedas à nobis et ab hoc

contra ingruentes procellosas tempestates hoc loco sine læsione alicuius hominis, siue pecoris, siue nauis, siue terræ, et delearis per aerem. Amen.

Alia coniuratio siue benedictio.

Benedictio, siue terror contra tempestates, et turbinem: extende manus tuas in modum crucis contra nubes, et dic Pater noster, et Aue Maria. et Credo in Deum Patrem. Domine Iesu Christe, qui cælum et terram creasti: aquas Jordanis benedixisti, in quibus baptizari voluisti: manus in Cruce extendisti, et totum Mundum redemisti, benedicere ✠ digneris hanc nubem, quam uideo ante me positam, ut ibi nulla potestas Dæmonum perueniens nocere possit, benedicat te Deus Pater ✠ benedicat te Deus Filius ✠ benedicat te Deus Spiritus Sanctus ✠ Diuidat te Deus Pater ✠ diuidat te Deus Filius ✠ Diuidat te Deus Spiritus Sanctus ✠ Destruat te Deus Pater ✠. destruat te Deus Filius ✠. destruat te Deus Spiritus Sanctus ✠. In nihilum redigat te Deus Pater ✠. in nihilum redigat te Deus Filius ✠. in nihilum redigat te Deus Spiritus Sanctus ✠ Amen ✠ In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus Sancti ✠ Amen.

Ritualis Romani finis.

